8 Accusari potest factum, et persona 4, d. 41, a. 5, q. 2, c.

9 Accusatus tenetur dicere veritatem judici interroganti juridice; scilicet si praecessit infamia, vel indicia expressa, vel probatio semiplena 2-2, q. 69, 1, o. | 2, c. | 4, d. 17, q. 3, a. 1, q. 2, 1^m | 3^m | d. 19, q. 2, art. 3, q. 1, 5^m | q. 2, c. Quol. 5, 16, o. **Judex** 5. **Confessio** 4.

10 Accusatus potest defendere se per prudentiam, non autem per calumniam, vel collusionem 2-2, q. 69, 2, o. | 3, c.

11 Et ei licet appellare 2-2, q. 69, 3, c. **Appellare** 2.

12 Accusatus falso ex levitate et non ex malitia, potest remittere poenam talionis; non autem si desistat per collusionem, sed tantum princeps 2-2, q. 68, 4, 2^m.

13 Mulier accusata de adulterio penitus occulto, non debet confiteri in judicio, nec ab ea debet exigi juramentum. Quol. 5, 16, o.

14 Accusari potest matrimonium, et per testes 4, d. 41, art. 5, q. 2, 3, o.

15 Accusatio matrimonii potest fieri verbo et scripto, ita quod exprimatur persona accusans, matrimonium quod accusatur, et impedimentum 4, d. 41, art. 5, q. 2, 1^m.

16 Quando accusatur matrimonium propter perpetuum impedimentum dirimens contractum, repelluntur extranei ut suspecti, si consanguinei tacent qui probabilius sciunt 4, d. 41, art. 5, q. 2, 2^m.

17 Quando matrimonium accusatur non esse contractum, debent repelli parentes ut suspecti, nisi accusans sit inferior dignitate et divitiis, qui aestimari possit, quod velit libenter illud matrimonium stare 4, d. 41, art. 5, q. 2, 2^m.

18 Qui prius tacuit, debet postea repelli ab accusatione matrimonii, nisi prius legitime fuerit impeditus, vel nisi juret se postea didicisse impedimentum, nec procedere ex malitia 4, d. 41, art. 5, q. 2, 4^m.

19 Accusatur uxor de adulterio dupliciter: scilicet coram judice saeculari, et ecclesiastico. In primo est obligatio ad talionem, non autem in secundo 4, d. 35, 3, 5^m. **Uxor** 22.

20 Obligatio ad poenam talionis fit in accusatione personae de crimine, quia tunc agitur ad punitionem ejus; non autem in accusatione matrimonii, sed ad impediendum illicitum 4, d. 41, a. 5, q. 2, 1^m.

21 Quando sunt tantum sponsalia, non accusatur matrimonium, quia non accusatur quod non est; sed potest denuntiari impedimentum, ne contrahatur matrimonium 4, d. 41, art. 5, q. 2, 3^m.

22 In accusatione matrimonii, idem potest esse accusator et testis. Nec juratur de calumnia. Consanguinei possunt esse testes, contumax potest excommunicari lite non contestata. Valet testimonium de auditu. Et post publicationem testium, testes possunt adduci 4, d. 41, art. 5, q. 3, o. **Excommunicatio** 22. **Vel judicium** 47.

23 Poenitentia uxoris adulterae, debet inducere virum, ne eam accuset vel dimittat: sed ad hoc non potest cogi; quia cessante culpa et macula et reatu quo ad Deum, manet poena ecclesiae, humano judicio inferenda.

24 Si mulier agit jure petitorio, prius tractabitur de exceptione viri. Si autem jure possessorio, prius debet restitui vir, et e converso, nisi vir excipiat publicam fornicationem uxoris, vel proponat gradum consanguinitatis divino jure prohibitum. Tertio si objiciatur exceptio rei judicatae, a qua non est appellatum. Quarto si objiciatur nimia saevitia viri, et odium capitale contra uxorem. Quinto si agens spoliavit alium sine causa 4, d. 41, L. n.

25 Accusans in probatione deficiens, meretur poenam talionis 2-2, q. 68, 4, o. | 4, d. 41, art. 5, q. 2, 1^m | Quol. 11, 13, c. **Judex** 25.

26 Accusans falso, meretur duplicem poenam: scilicet talionis, pro nocumento accusati, et infamiae pro calumnia. Sed quandoque princeps liberat ab utraque, et quandoque tantum a prima 2-2, q. 68, 4, 3^m.

27 Desistere ab accusatione ordinate et sine vitio, contingit dupliciter: scilicet si in processu perpendat se false accusasse, vel si princeps eam aboleat 2 2, q. 68, 3, 3^m. **Papa** 3.

28 In notoriis non requiritur accusator, quia infamia tenet locum accusatoris 2-2, q. 67, 2, 3^m | 3, 2^m. **Infamia** 1.

29 Subditi possunt suos superiores accusare 2-2, q. 68, 1, 2^m.

30 Nullus debet accusare religiosum in capitulo, de crimine occulto 2-2, q. 33, 7, 4^m | 4, d. 19, q. 2, art. 3, q. 1, 3^m | Virt. q. 3, 2, 8^m.

31 Excommunicati, infames, et de majori crimine accusati, non

ACTIO

Lex. 54. Ma. 24, 12, 13, 52. Medium 3, etc. Membrum 1, 3, 5, 7. Nomen 64.

28 Actio transiens proprie actio dicitur; sed actio immanens proprie dicitur operatio. Verit. q. 8, 6, c. * Objectum 15, 17. Prius 12. Motus 3, 29.

29 Actio transiens infert ex se passionem, non autem immanens 1ª q. 23, 2, 1m | 2-2, q. 59, 3, 3m | 1 d. 40, q. 1, 1, 1m.

30 Actio immanens est actus et perfectio agentis, non autem transiens, sed tantum patientis 1-2, q. 3, 2, 3m | q. 31, 5, c. | Cg. 1, cº 100, 2m | lib. 2, cº | Verit. q. 14, 3, c. | Po.ª q. 3, 15, c. fi. | q. 5, 5, 14m | q. 10, 1, c. | Ethic. lect. 12, meº 3 | lib. 2, lect. 4, meº 3 | Meta. 9, lect. 9, fi. 7. * Propositio 8, 9. Qualitas 8. Quantitas 17.

31 Actio immanens est tantum viventium, transiens est etiam aliorum. Poª q. 10, 1, c. meº.

32 In omni actione transeunte, requiritur aliud principium in agente, et aliud in patiente; non autem in immanente. Poª q. 9, 9, 4m.

33 Actio duplex: scilicet una cum transmutatione materiae, sicut actio physica; alia sine transmutatione materiae, quae scilicet materiam non praesupponit, sicut patet in creatione. Sed actio corporis est, qua agit secundum quod est actu, in aliud corpus, secundum quod est in potentia 1ª q. 91, 2, c. | q. 115, 1, c. | Poª q. 1, 1, 15m. Satisfactio 3. Sensus 32.

34 Actio corporis duplex: scilicet realis, secundum proprietatem corporis, idest ad transmutationem materiae, et intentionalis secundum quod participat aliquid de proprietate substantiarum separatarum. Poª q. 5, 8, c. fi.

35 Omnis actio creaturae, differt realiter ab ea 1ª q. 54, 1, 2, c. | 1, d. 3, q. 4, 2, c. | Cg. 1, cº 20 | Poª q. 10, 1, 5m | Quol. 10, q. 3, 1, c.

36 Actio instrumenti duplex: scilicet secundum propriam formam, et ut movetur a principali agente. Prima est alia ab actione principalis agentis, secunda vero est eadem 3ª q. 19, 1, c. | 2m | 2, c. | q. 62, 1, 2m | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. meº | Verit q. 22, 13, c. | q. 27, 4, c. | 2m | Poª q. 3, 4, c. meº. Agens 29.

37 Actio humana, speciem sortitur a fine proximo; quia ad bonitatem vel malitiam rei, non solum exigitur bonitas vel malitia finis ultimi, quem respicit voluntas intendens; sed etiam bonitas vel malitia finis proximi, quem respicit voluntas eligens. Et ideo non sequitur, quod bonitas voluntatis intendentis, ad bonitatem actus sufficiat 1-2, q. 1, 3, c. | 3m | 2-2, q. 11, 1, 2m | 2, d. 40, 2, c. | 3m. Verit. q. 20, 1. 2m. Actus 145, 146. Voluntas 2.

38 Actio humana, secundum jus naturale considerata, quadruplex: scilicet habens deformitatem inseparabilem, secunda separabilem, per circumstantias aliquas; indifferens, et secundum se bona. Quol. 9, 5, c.

39 Bonum et malum sunt differentiae actionis, inquantum est voluntaria 2, d. 40, q. 1, 1, 1m. Ma. 52, 54, 55. Actus 157, etc. 163. Bonitas 231.

40 Aliqua actio dupliciter dicitur intellectualis: uno modo sicut consistens in intellectu, alio modo ut regulata et imperata ab aliquo intellectu. Et aliqua actio dupliciter dicitur voluntaria: uno modo elicitive, alio modo imperative 1ª q. 112, 1, 1m | 1-2, q. 1, 1, 2m | q. 6, prinº | 4, c. | 5, 1m | q. 8, prinº | q. 20, 2, 31, | q. 71, 6, c. | q. 74, 2, c. | Ma. q. 8, 3, 17m.

41 Actio voluntaria, fundatur super actionem naturae 1-2, q. 10, 1, 1m | 1, d. 12, 1, a. 2. Jus 11. Voluntas 55, etc.

42 Eadem actio secundum speciem naturae, potest differre secundum speciem moris, et e converso 1-2, q. 1, 3, 3m | 3ª q. 47, 3, 3m | d. 40, 1, 4m | 4, o.

43 Actionum quae ab homine aguntur, illae solae dicuntur humanae proprie quae sunt a voluntate deliberata. Si quae autem aliae actiones homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanae, cum non sint hominis inquantum est homo; sicut cum aliquis movet pedem vel manum, aliis intentus, vel fricat barbam 1-2, q. 1, 1, art. 3, | c. | 3m | Cg. 3, cº 2, fi. Finis 134. Fricare. Homo 38.

44 Actio naturae terminatur ad unum, non autem voluntaria 1ª q 41, 2, c. | 1-2, q. 10, 2, 2m. Libertas o. Voluntas 78, etc. Agens 14. Anima 34, 46, 290. Forma 59. Operatio 14. Potentia 14, etc. 18.

45 Actio naturalis, semper praesupponitur aliis actionibus. Ma. q. 16, 4, c. fi. | 4m | 5m.

46 Omnis actio corporis est naturalis, quia non operatur nisi naturaliter. Cg. 3, cº 102, fi.

47 Actio primi principii proprie dicitur operatio, non autem actiones secundorum, sed dicuntur operata 3ª q. 19, 1, c.

48 Diversae actiones ad unum effectum, quarum una est ut disponens et alia ut perficiens, dicuntur una 4, d. 7, q. 1, art. 1, c. | Cg. 2, cº 57, 1m | 87, 3m.

49 Actio et passio conveniunt in una substantia motus et sunt unus motus numero: differunt tamen propriis rationibus et differunt tantum secundum diversas habitudines 1ª q. 28, 3. 1m | q. 41, 1, 2m | q. 45, 2, 2m | 3, c. | 2, 2, q. 90, 3, c. | 2, d. 40, 4m | Meta. 11, lect. 9, fi. | Phy. 3, lect. 4, o. | Anima. 3, lect. 2.

ACTIO

50 Immo non potest esse idem accidens numero actio et passio, sed eorum differentiae sunt tantum penes terminos, scilicet agens et patiens 2, d. 40, 4, 1m | Cg. 2, cº 57, 1m.

51 Actio ut praedicamentum, dicit aliquid fluens ab agente cum motu 1. d. 8, q. 4, 3, 3m. * Accidens 53, 74, 93. Actio 111.

52 Actio speciem habet a forma agentis 1ª q. 14, 5, 3m | 1-2, q. 1, 3, c. | 3ª q. 19, 1, 3m | 1, d. 13, 2, c. prinº | 2, d. 40, 1, c. | 5m | Cg. 3, cº 8, 1m | Verit. q. 20, 1, 2m | Virt. q. 2, 3, c. | 7, 17m | Phy. 2, lect. 2, fi. Ma. 43. Operatio 3.

53 Actiones differunt specie secundum diversitatem formarum, quae sunt principia earum, licet agentia non differant specie 2, d. 40, 1, c. | 5m. Homo 40.

54 Principium actionis, primo est finis, secundo agens, tertio forma, non autem materia 1ª q. 105, 5, c. Vel potentia 2, meº. Anima 47, 53.

55 Illud quod est indeterminatum, vel in potentia, ut sic, non potest esse principium alicujus actionis 1, d. 45, 3, c.

56 Actio speciem naturalem habet ex agente et termino magis, sicut et motus; a principio autem intrinseco est naturalis. Poª q. 6, 8, c. prinº.

57 Actio quaelibet commensuratur virtuti agentis. Nec aliquod agens naturale, nititur ad agendum id quod excedit suam facultatem 2-2, q. 1, 30 | c. Natura 34.

58 Omnibus rebus naturaliter insunt principia propriarum operationum, quibus eas convenientes reddant fini suo 4, d. 33, q. 1, 1, c. prinº.

59 Actio est in agente subjective 1, d. 32, q. 1, 1, c. meº | d. 40, q. 1, 1, 1m | 2, d. 40, 4, 1m | 3, d. 18, 1, 4m | Poª q. 7, 9, 7m | 10, 1m | q. 8, 2, c. * Appetitus 52. Caput 4. Conceptio 3, 35. Subjective.

60 Immo actio est tantum in patiente subjective. Meta. 11, lect. 9, fi. | Phy. 3, lect. 3, fi. 5 | Anima. 3, lect. 2, meº 7.

61 Actiones quae sunt in agente, sunt quasi perfectio ipsius. Hujusmodi autem non sunt nisi actiones cognoscentis et appetentis. Cg. 2, c. 23, 4m.

Immo non solum actiones immanentes, sed etiam actiones transeuntes, sunt in agente, et sunt perfectiones ipsius. Poª q. 7, 9, 7m | 10, 1m | q. 8, 2, c.

62 Omne agens habet in se formam, qua agit. Quol. 6, 2, c. | Spiritu. 2, 10, c. | Anima. 2, c. | 5, c. meº | 16, c. meº. Opus. 9, q. 37 | Anima. 3, lect. 7, fi. | lect. 10. Creatura 34.

63 Omnis forma dependens ab agente secundum fieri tantum, remanet cessante actione ejus 1ª q. 104, 1, c. | Poª q. 5, 1, o.

64 Impossibile est actionem unius agentis terminari ad formam tantum et alterius ad subjectum formae, nisi in agentibus subordinatis 1ª q. 118, 2, 3m | 2, d. 18, q. 2, 1, 5m | Poª q. 3, 6, 21m | 9, 21m.

65 Una et eadem actio procedit a primo et secundo agente, non autem a duobus agentibus unius ordinis 1ª q. 101, 5, 2m.

66 Actiones diversorum agentium non possunt terminari ad unum effectum, nisi agentia sint subordinata 3, d. 37, q. 3, 3, c. | Cg. 2, cº 87, 3m. * Aestimativa 3. Denominatio 6.

67 Non omnis novitas effectus ponit novitatem in actione et mutationem in agente; sed tantum si agens agat ex necessitate naturae, vel actio sit media inter agens et effectum 2, d. 1, q. 1, 5, 11m | Cg. 2, cº 35, 1m | 2m | Poª q. 3, 17, 12m | Opus. 3, cº 97. * Figura 7. Finis 11, 12, 63, etc. 134. Forma 117, 118.

68 Omnis actio potentiae vel virtutis motae a superiori potentia vel virtute, est etiam passio. Unio 5, c.

69 Actio est magis propinqua agenti, quam patienti 4, d. 9, art. 2, q. 2, c. fi.

70 Quanto agens est potentius, tanto magis potest actionem suam diffundere ad magis distans 1ª q. 118, 1, c. | 2-2, q. 141, 7, 2m | Cg. 2, cº 6, 6m | libº 3, cº 24, fi. | Poª q. 3, 4, c. fi. * Imprimere 3. Individuum 10.

71 In qualibet actione illud quod est ex parte agentis, est quasi formale: et quod est ex parte patientis vel recipientis est quasi materiale 4, d. 46, q. 2, art. 2, q. 3, c.

72 Actio primi agentis est prior in movendo, et posterior in utendo actibus aliorum ad suum finem 3, d. 23, q. 3, a. 1, q. 1, c.

73 Actiones omnium secundorum agentium, fundantur super actionem primi agentis 3, d. 23, q. 3, art. 1, q. 1, c. | 4, d. 11, q. 1, art. 3, q. 1, c. Agens 94.

74 Actionum quarum una est regula et ratio alterius, una non impedit sed juvat aliam 1ª q. 112, 1, 3m. * Instans 14, etc.

75 Omnis defectus actionis est ex defectu principiorum ejus. Verit. q. 24, 7, c. Actio 54. Defectus 13, 14. * Intellectus 63, etc. Juramentum 25.

76 Actio non attribuitur instrumento proprie, sed principali agenti 1-2, q. 16, 1, c. fi. | 2-2, q. 172, 2, 3m | 3ª q. 13, 3, c. | q. 15, 9, 1m | 2, d. 35, 4. c. | 4, d. 1, q. 1, art. 1, q. 4, c. | d. 3, art. 2, q. 1, 8m | d. 5, q. 2, art. 2, q. 2, 1m | d. 8, q. 2, 3, 1m | d. 44, q. 1. art. 1, q. 3, 3m | art. 2, q. 1, 3m | d. 45, q. 2, a. 1, q. 3, c. | Cg. 2, cº 87, 3m | libº 3, cº 24, meº | Verit. q. 5, 9, c. | prinº | q. 12, 8, 5m | Ma. q. 7, 6, c. | Rom. 9, lect. 3, meº. Agens 6.

77 Actio attribuitur instrumento sicut immediate agenti, sed princi-

pali agenti sicut in cujus virtute agit instrumentum 3ª q. 66, 5, 1m. Passio 99.

78 Actio instrumenti, semper attingit ad aliquid ultra suam speciem, non autem semper ad ultimam perfectionem intentam a principali agente 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. meº | d. 8, q. 2, 3, 5m | Cg. 2, cº 17 3m | Poª q. 3, 9, 21m.

79 Oppositum videtur dicere 2, d. 1, q. 1, 3, o. | 4, d. 8, q. 2, 3, 4m.

80 Una res potest esse causa actionis alterius rei quadrupliciter: scilicet dando ei virtutem, conservando et movendo seu applicando ad agendum, et sicut agens principale respectu instrumenti. Poª q. 3, 7, c. meº fi. Conservatio 9. Causa 41.

81 Actio instrumenti duplex: scilicet secundum propriam formam, et ut movetur a principali agente. Prima est alia ab actione principalis agentis, secunda vero eadem 3ª q. 19, 1, c. | 2m | 2,c. | q. 62, 1, 2m | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. meº. Verit. q. 22, 13, c. | q. 27, 4, c. | 2m | Poª q. 3, 4, c. meº. * Meritum 1, 4, 9, 12, 21, 22, 26, 28.

82 Unitas et pluralitas actionis duplex: scilicet numeralis ex subjecto agente et specifica ex principio quo agens agit, idest ex forma. Unio 5, c. * Misericordia 28. Natura 15, 17, 34. Naturale 25. Numerus 18. Ordo 15. Passio 99. Peccatum 342.

83 Actio potest esse una et passiones multae, propter unum agens et multa patientia, et e converso. Cg. 2, cº 73, meº etc.

84 Si sit unum agens principale et duo instrumenta, dicetur unum agens simpliciter et duae actiones; si autem e converso, dicetur e converso 1ª q. 76, 2, c.

85 Instrumentum duas habet actiones: scilicet unam instrumentalem secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis: aliam propriam, quae competit sibi secundum propriam formam: sicut securi competit scindere, ratione suae acuitatis; facere autem lectum, inquantum est instrumentum artis. Non autem perficit actionem instrumentalem, nisi exercendo actionem propriam. Scindendo enim facit lectum 3ª q. 62, 1, 2m.

86 Impossibile est quod eadem numero essentialiter sit actio principalis agentis et instrumenti 3ª q. 19, 1, c. | 3, d. 18, 1, 4m | Anima. 2, c. meº fi.

87 Actionem cujuslibet agentis, etiam instrumenti, oportet egredi a potentia ejus. Poª q. 3, 4, c. meº.

88 Malum in actione, semper causatur ex defectu agentis principalis vel instrumentalis. Similiter in effectu proprio, vel ex indispositione materiae. Sed in patiente, ex imperfectione vel defectu agentis vel materiae 1ª q. 49, 1, c. | 3m | 1-2, q. 18, 2, c. Ma. q. 16, 6, c. prinº. Defectus 13, 14. Ma. 26, 43. Poª 2, 3, 14.

89 A diversis actionibus idem actum est quadrupliciter: scilicet propter insufficientiam agentium: vel quia idem non potest simul una actione, vel effectus non est unus simpliciter, sed tantum subjecto, vel agens unum est instrumentum alterius 3, d. 18, 1, 5m. * Principiatum 1, 3. Purgatio 8. Scandalum 4. Solicitudo 4. Solitudo. Vermis 1. Virtus 6, 7, 2, 55.

90 Agens agit aliquo dupliciter; scilicet actione et forma 1ª q. 101, 1, c. | 1, d. 32, q. 1, 1, c. fi.

91 Omnis actio est per aliquam formam 1ª q. 48, 1, 4m | q. 76, 1, c. | 3ª q. 19, 1, 3m | Spiritu. 2, c. | Opus. 9, q. 37. Operatio 46.

92 Forma est principium actionis 22, q. 179, 1, 1m | 1, d. 45, 3, c. | 4, d. 12, q. 1, 2, o. | d. 49, q. 2, 3, 6m | 4. c. prinº. Vel potentia 2. Immo potentia in nobis dicitur esse principium actionis 1ª q. 83, 2, c. | 1m | 2m | 1-2, q. 74, 1, c. | Actus 74. Esse 73. Habitus 50.

93 Forma non nominat principium actionis, ut est in agente, sed ut respicit effectum 1ª q. 14, 8, c.

94 Actio non tantum attribuitur formae, sed etiam composito. Ideo mensuratur secundum utrumque 4, d. 49, q. 2, 3, 6m. Actus 18, 182, etc. Esse 15.

95 Actiones sunt suppositorum 1, d. 5, q. 1, 1, c. Ignis 8, 18. Medium 6, etc. Actus 185. Operatio 45.

96 Immo actiones ipsius naturae. Opus. 37, cº 4.

97 Actionis physicae duplex est terminus: scilicet generatio et forma quae est finis generationis. Opus. 32, cº 2 | Phy. 2, fi.

98 Oportet modum actionis esse, secundum modum formae agentis. Cg. 2, cº 21, 8m | 22, 3m | libº 3, cº 55, 1m | 58, 1m | 73, 2m | Poª q. 3, 17, 12m | q. 5, 3, 6m | Anima. 2, 6m | Quol. 3, 7, c.

99 In formis non subsistentibus, actio mensuratur secundum quantitatem ejus quod de forma receptum est in subjecto: in subsistentibus vero, secundum quod subjectum subditur ei magis et minus 4, d. 49, q. 2, 3, 6m | 4, c. prinº.

100 Forma substantialis, non est principium actionis, nisi mediante qualitate 1ª q. 77, 1, c. | 4m | 3ª q. 77, 3, 3m | 1, d. 7, q, 1, 1, 2m | 2, d. 14, 5, 2m | 4, d. 12, q. 1, art, 2, q. 2, c. | Verit. q. 2, 14, c. | Poª q. 1, 1, 1m | q. 2, 1, 6.m | Spiritu. 11, o. | Anima. 12, c. Vel quantitas 28.

101 Qualitatis actio non producit formam substantialem, nisi in virtute formae substantialis 1ª q. 45, 8, 2m | q. 67, 3, 3m | q. 115, 5m | 3ª q. 77, 3, 3m | 2, d. 1, q. 1, 4. 5m | d. 18, q, 2, 3, 2m | Cg. 3, cº 69, fi. | Poª q. 3, 8, 13m | Ma. q. 4, 4, 3m | Anima. 12, c. meº fi. | Quol. 1, 6, 3m | Quol. 6, 2, c. | Quol. 8, 3, c. | Quol. 9, 11, o. | Meta. 6, lect. 8, fi. c. fi. * Relatio 7, 38, 40. Sacramentum 3, 82.

102 In cognoscentibus, principia actionum sunt cognitio et appetitus: in aliis autem sunt formae eorum 4, d. 33, q. 1, 1, c. prinº.

103 Actio sine corpore, non convenit formae quae unitur materiae. Spiritu 2, c. * Tempus 29, etc.

104 Omnis actio cujuslibet rei, est per formam specificam naturae ejus, sicut per primum principium 1, d. 49, q. 1, art. 1, q. 1, c. | Quol. 6, 2, c. Agens 84.

105 Forma perfecta secundum esse reale, potest esse principium actionis transeuntis, non autem imperfecta 1-2, q. 5, 6, 2m.

106 Actio est indicium virtutis, et virtus essentiae, solum si actio procedit a virtute, et virtus ab essentia 4, d. 47, q. 2, a. 1, q. 3, 2m.

107 Forma ut forma est principium agendi simile. Sed non potest disponere patiens nisi perfecta. Anima. 2, lect. 14, fi. * Verbum 78, etc. Veritas 4, 44.

108 Forma determinata ad unam operationem, non requirit dispositionem 1-2, q. 49, 4, c. | 1m | 1, d. 45, 3, c.

109 Formae dependentes a materia, non habent per se operationem. Anima 1, c. Visio 2. Vivificare 2.

110 In eodem instanti acquiritur forma, et incipit actio 1-2, q. 113, 7, 4m. Verit. q. 29, 3, 3m | Anima. 18, 5m.

111 Actio secundum primam impositionem nominis, importat originem motus, quo remoto, nihil aliud quam ordinem originis importat 1ª q. 41, 1-2m | q. 45, 3, c. * Actio 51.

112 Oppositum videtur dicere 2, d. 40, 4, 1m | Cg. 2, cº 56, 3m.

113 Actio proprie est actualitas virtutis 1ª q. 54, 1, c. Amor 42, 133, etc. Assumere 3, c. Compositio 16.

114 Actio quaedam est finis, non autem quaelibet 1-2, q. 1, 1, 2m | q. 18, 1, 2m. Cg. 3, cº 2, fi. | Poª q. 5, 5, 14m | Ethic. lect. 1, fi. c. Conjunctio 10. Contactus 2. Cultus 11. Divisio 16, 18. Eucharistia 29. Habere 1. Habitus 1, 2, 24, 25. Finis 30.

115 Quaelibet actio eo modo est bona, quo habet esse: sed non est bona simpliciter nisi habeat plenitudinem sui esse 1-2, q. 18, 1, o.

116 Actio humana est bona vel mala quadrupliciter: scilicet ex genere, ex objecto, fine, circumstantiis, et hujusmodi 1-2, q. 18, o. q. 20, 1, 2, c. | q. 73, 7, 1m. Actio 49.

117 Eadem actio inquantum multa, potest esse bona et mala, non autem inquantum una 3ª q. 82, 5, 3m | 2, d. 40, 4, o.

118 Actio sequitur rem ratione generis, quandoque vero ratione speciei 4, d. 33, q. 1, 1, c.

119 Quod attribuitur alicui ut ab eo in aliud procedens, ut actio, et relatio, non facit compositionem cum eo. Poª q. 7, 8, c. | 6m. Imaginatio 15. Compositio 16.

120 Omnis processio est secundum aliquam actionem, et e converso. 1ª q. 27, 1, c. Incipere 2, etc. Injustitia 4, etc.

121 Actio sine motu non infert ex se passionem, nisi grammatice, ut in divinis 1ª q. 41, 1, 3m | Quol. 4, q. 6. o. Juramentum 25. Lex 45, 54, 69, etc. Modestia 2, etc. Necessitas 25. Numerus 18.

122 Actio cum motu est semper cum innovatione, fieri, et corruptione; non autem actio sine motu 1ª q. 41, 1, 3m | Quol. 4, 9, o.

123 In actione aliqua, potest esse resistentia dupliciter: scilicet vel ex parte agentis, idest, quando ex contrario agente, virtus agentis debilitatur: vel ex parte effectus, idest, quando ex contraria dispositione effectus, actio impeditur 4, d. 11, q. 1, art. 3, q. 3, 2m. Desistere 2. Defectus 2, 4, 13, 14. Difficile 2. Agens 43.

124 Actio tantum dupliciter impeditur a contrario ex quo fit generatio: scilicet debilitando virtutem agentis, et per indispositionem patientis. Primum accidit, scilicet in compatientibus, secundum vero est per se 4, d. 5, q. 1, art. 3, q. 3, 4m. Passio 82, 83. Posterius. Providentia 30, 33, 45. Relatio 7, 15, 16, 38, 42, 60. Religio 102. Restitutio 2, 4, 10. Sapientia 35, 36. Servitus 2. Sterilitas 1. Tempus 6. Vinculum 2. Forma 135. Defectus 3. Dispositio 33. Activum. Aer 4. Amor 68. Angelus 635. Anima 15, 32, 172, 203, etc. 210, 262, 286, etc. 354, 360. Animal 10. Ars 7, 22, 41, 42. Beatitudo 18, 19, 20, 68, 117, 135. Causa 103. Conceptio 3, 36. Consilium 25. Contrarium 26. Cor 11. Corpus 16. Creatio 19, etc. Daemon 106, 108. Densitas. Effectivum. Elementum 18. Femina 2, 3. Filiatio 6. Forma 30, 59, 157, 158. Generatio 11, 12, 23, 61. Generativa. Grave 1, etc. Habitus 11, 38. Ignis 11, 18. Imaginativa 3. Lex 4, 10. Lux 2. Magi 7, etc. Malum 41. Motus 11, 12. Naturale 4. Passio 8, 9, 10. Propositio 9. Providentia 37. Ratio 22. Scandalum 3, etc. Scientia 20, 130, etc. 155. Semen 11, 12. Spiratio 2, etc. Subtilitas 2. Virtus 3, 86, 170. Visus 7. Christus 163.

1 ACTUALITAS cujuslibet rei, est lumen ejus: quia per eam intelligitur. Causis lect. 6. Adam 78, 79. Angelus 292, etc. Attentio 3. Baptismus 104, 188. Clausio. Cogitatio 4. Confessio 60. Confirmatio 42. Contemptus 6. Contritio 21, 22, 27, etc. Damnatio 16. Defectus 12. Daemon. 93. Dicere 8.

Esse est actualitas omnis, formae 1, q. 3, 4, c. | q, 4, 1, 3m | q.

ACTUS

ACTUS

ADAM

ADVENA

13 Deitas et humanitas Christi, sunt adorandae una adoratione latriae 3ª q. 25, 1, o. | q. 58, 3, c. fi. | 1m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 1, o. | d. 39. 1, 4m | Verit. q. 29, 4, 4m. * Idolatria 8, 10.

14 Persona Christi adorari debet latria ratione deitatis, et dulia, ratione humanitatis, perfectae omni munere gratiarum 3ª q. 25, 2, c.

15 Humanitas Christi ut unita Verbo, debet adorari latria, non autem secundum se, sed hyperdulia 3ª q. 25, 2, o. | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 1, o. | q. 4, 1m. * Mag. 1, etc.

16 Caro Christi adoranda est latria 3ª q. 25, 2, o. | q. 58, 3, 1m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 1, o. | Gal. 4, lect. 4, prinº.

17 Hostia debet adorari latria sub conditione in habitu 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 6, 2m | 1ª Cor. 11, lect. 6, prinº. Idolatria 11.

18 Imago Christi adorari debet latria 2-2, q. 81, 3, 3m | q. 94, 2, 1m | 3ª q. 25, 3, o. | 4, c. | 5, 2m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 2, o.

19 Adoratio imaginis Christi tradita est ab Apostolis. Et Lucas depinxit imaginem Christi, quae est Romae 3ª q. 25, 3, 4m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 2, 3m.

20 Ponere imagines Christi et sanctorum, et adorare eas, licet nunc, non autem in veteri Testamento 3ª q. 25, 3, 1m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 2, 1m | 2m.

21 Crux propria Christi, ut repraesentans Christum et ut tetigit Christum, et perfusa Christi Sanguine, debet eadem adoratione, latriae cum Christo adorari. Sed imago Crucis ejus in alia materia debet adorari latria ut imago Christi tantum 2-2, q. 103, 4, 3m | 3ª q. 25, 4, o.

22 Immo Crux Christi ut res quaedam, non potest adorari latria nisi ut repraesentans Christum; sed ut est quaedam res Christi, debet adorari hyperdulia et non latria, quia non est pars Christi 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 4, o.

23 Honor adorationis crucis Christi ut est res quaedam Christi, non est tantus, quantus exhibetur Matri ejus 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 4, 3m.

24 Omnia alia Christi, ut clavi, lancea, corona, vestes et hujusmodi adorantur ratione contactus tantum 3ª q. 25, 4, 3m.

25 Mater Christi adorari debet hyperdulia, non autem latria, 2-2, q. 103, 4, 2m | 3ª q. 25, 5, o. | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 3, o.

26 Mater Christi, ratione sui debet adorari dulia; sed ut Mater Christi, hyperdulia 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 3, o. Dulia 1, inf.

27 Viri sancti debent adorari dulia tantum 2-2, q. 84, 1, 1m | 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 5, o. Gentiles 1.

28 Reliquiae sanctorum sunt adorandae dulia tantum 3ª q. 25, 6, o.

29 Angelus apparens in specie Christi non potest adorari sine peccato, nisi conditione expressa 3, d. 9, q. 1, art. 2, q. 6, 3m | 4, d. 3, o. L. prinº. Abraham 23. * Imperator 5. Pythagoras 5.

30 Creatura non potest adorari latria sine peccato 2-2, q. 84, 1, 1m | q. 94, 2, 3, o. | q. 161, 3, 1m | 3ª q. 25, 5, 6, o. | 3, d. 9, q. 1, 2, o. | Cg. 3, cº 120 | lib. 4, cº 7, 17m | 17, 2m | Psal. 40, fi. | Rom. lect. 7, meº. Seraphim 6.

1 ADVENA est, qui aliunde venit: sed peregrinus, qui alio tendit. Psal. 38, fi. 3 | Hebr. 11, lect. 4, prinº. Extraneus. Hospes.

2 Advena est qui non habet mansionem, sed peregrinus est qui non habet affectum ad mundana. Psal. 38, fi. Indulgentia 24. Praeceptum 132, 136. Peccatum 355. Perfectio 47, etc. Relatio 57.

Advenire. Accidens 19. Adventus o. Anima 12. Character 1. Esse 47. Fides 120, 157. Fieri 8.

1 ADVENTUS Christi duplex: scilicet in carne et ad judicium 3ª q. 1, 6, 3m | q. 36, 1, 1m | 3m | 4, d. 47, q. 1, art. 1, q. 3, 1m. | Psal. 9, prinº | Psal. 12, prinº.

2 Adventus Christi triplex: scilicet in carne, in mente et ad judicium. Isa. prol. meº. * Adductio. Advenire. Calor. 8.

3 Adventus Christi in carne, quia factus est per Incarnationem, ideo sub dictione Incarnationis describitur. Opusc. 2, cº 5. | Opusc. 60, cº 1, o.

4 Adventus Christi in mente, est per gratiam. Opusc. 60, cº 24, o. * Confirmatio 15. Definitio 15. Imago 44.

5 Adventus Christi in mente, quia est per gratiam, ideo sub nomine gratiae, ille adventus Christi in animam describitur. Opusc. 60, cº 24, o. * Joannes 17.

6 Adventus primus Christi ardenter desiderabatur a patribus quincuplici ratione: scilicet propter exaltationem humanae naturae; ut liberarentur captivi a carcere inferni, sive limbi; propter depressionem diaboli, quia per adventum Christi pacificatus est nobis Deus, et propter delectationem quam sperabant habere cum Christo, videndo, audiendo et conversando cum ipso. Psal. 12, prinº. * Judicium 76, etc. Limbus 2.

7 Adventum primum non praecesserunt signa, quia venit Christus occultus et tempore determinato 4, d. 47, q. 1, art. 1, q. 3, 1m | d. 48, q. 1, art. 4, q. 1, 3m. Nativitas 23. * Nuptiae 7. Pentecoste. Semen 18. Uxor 9. Vendere 14.

8 Adventus primus fuit ad manifestandam veritatem, ad liberandum a peccatis, et ad trahendum ad Deum 3ª q. 40, 1, c.

9 Sed adventus tertius desideratur a patribus modernis sextuplici ratione: scilicet quia tunc exaltabuntur, liberabuntur ab omni poena, et ab omni peccato, et a potestate diaboli, et a servitute corporis, et videbunt Deum facie ad faciem. Psal. 12, meº.

ADVOCATUS

10 Adventus tertius erit dissimilis primo dupliciter: scilicet quia manifestus, et quia terribilis 3ª q. 36, 1, 3m | 4, d. 47, q. 1, art. 1, q. 3, 1, 1m. | psal. 49, prinº 2.

Adverbium est adjectivum verbi 1, d. 21, q. 2, 1, c. * Bis. Modus 2. Relativum 7. Tempus 41.

Adversantia nobis sunt tria: scilicet prosperitas elevans, adversitas constantiam frangens et persequutio affligens. Isa. 4, fi.

Adversarius. Cornu. Disputatio 1, etc. Exordium 3. Magi 12. Praevaricator 1. Scientia 161. Simonia 18. Testis 2. Virtus 243.

Adversitas. Adversantia. Afflictio. Amicitia 16. Amor 54. Aqua 5. Bonitas 216, etc. 249. Charitas 90, 128. Detractio 3. Flagellum. Fundamentum 3. Invidia 5. Ira 33. Passio 132. Virtus 243.

Advertere. Percipere. Perpendere. Scienter. Studiosus. Usura 89, 280, 293, 305.

1 ADULATIO. Excedens in delectando alios verbis et laudibus propter delectationem solam, vocatur placidus; si vero causa lucri, vocatur adulator, quod tamen communiter dicitur etiam primo modo 2-2, q. 115, 1, c.

2 Adulatio est excessus delectandi alios verbis laudis causa lucri, ideo est peccatum 2-2, q. 115, 1, o.

3 Adulatio est peccatum mortale tantum quando est contra charitatem, scilicet de peccato, intentione nocendi, vel cum scandalo 2-2, q. 115, 2, o. | Ma. q. 7, 1, 11m. Peccatum 160. * Detractio 4, Laus 7. Malum 62. Missa 22. Nativitas 29. Palpo. Testis 11.

4 Adulatio secundum se est turpius peccatum et verecundius litigio; quia quae ex dolo fiunt videntur esse ex infirmitate et falsitate rationis. Sed est levius, quia minus contrariatur amicitiae, idest affabilitati, occulte, sine vi et minus cum contemptu 2-2, q. 116, 2, o.

5 Adulatio et litigium contrariantur amicitiae, idest affabilitati. Primum secundum excessum in delectando et secundum defectum in contristando: secundum vero e converso 2-2, q. 114, prinº | q. 115, prinº | 1, c. | q. 116, 1, o. vel Detractio 4.

Adulter est diabolus et mundus: unde qui nati sunt ex spiritu diaboli, vel mundi, sunt filii adulterini. Hebr. 12, lect. 2, meº.

1 ADULTERIUM est species determinata luxuriae, ab aliis distincta 2-2, q. 154, 1, c. 8, o. | 4, d. 41, art. 4, q. 2, c. | Ma. q. 15, 3, c.

2 Immo adulterium non tantum pertinet ad luxuriam, sed ad injustitiam et avaritiam. Ideo est gravius furto, quanto uxor est carior re exteriori 1-2, q. 72, 2, 4m | q. 73, 5, 1m | 7, c. | q. 88, 5, c. | q. 100, 6, c. fi. | 2-2, q. 65, 4, 3m | q. 73, 3, c. Luxuria 9, q. 118, 5, b, | c. | q. 154, 1, 2m | q. 170, 1, c. | Ma. q. 15, 3, 3m | Ep. 5, lect. 2, meº. Avaritia 12. Contumelia 5.

3 Adulterium est gravius stupro 2-2, q. 154, 12. c. | q. 170, 1, 2m | 4, d. 41, art. 4, q. 3, o. * Accusatio 16, 19, 23.

4 Adulterium uxoris est gravius quam adulterium viri quo ad bonum prolis; sed quo ad bonum fidei et sacramenti sunt paria 4, d. 35, 4, o. * Contumelia 5. Deus 422, etc. Dispensatio 19. Eustratius 1. Fornicatio 5.

5 Ardentior in propria conjuge faciens contra bonum matrimonii inhoneste eo utendo, est aliqualiter adulter, et magis quam cum alia 2-2, q. 154, 8, 2m.

6 Immo concubitus cum propria uxore qui fit ex libidine, est minus peccatum, quam fornicatio 2-2, q. 154, 2, 6m fi.

7 Adulterium magis directe opponitur matrimonio inquantum est in officium naturae quam infidelitas. Sed e converso inquantum est Sacramentum Ecclesiae 4, d. 39, 6, 1m. * Lapidatio o. Luxuria 9, 11, 13. Martyrium 8. Masculus. Matrimonium 47, 126, etc.

8 Nulla species luxuriae, vel gulae, vel vitiorum contra fortitudinem, ita directe contrariatur dilectioni proximi, sicut adulterium 2-2, q. 170, 1, 1m | 2m. * Meretrix 34. Poena 55. Scriptura 10. Uxor 21, 22. Venter. Voluntas 41.

9 Deus in adulterio juste infundit animam, quia cooperatur naturae cujus operatio est generatio, non autem peccato 1ª q. 118, 2, 5m | 2, d. 18, q. 2, 1, 2m | Cg. 2, cº 88, 5m | cº 89, 5m | Poª q. 3, 9, 25m.

Adultus. Affinitas 9. Baptismus 95, 98, 102, 129. Christus 171. Matrimonium 93, 105, 107, etc. Sanctificatio 2. Sponsalia 6, etc.

Advocari, etc. Coetus 1. Societas 1. Usura 312.

1 ADVOCATUS scienter defendens causam injustam, peccat, et tenetur ad restitutionem 2-2, q. 71, 3, o.

2 Advocatus tenetur subvenire causae pauperum in necessitate, si per alium nec per se possit 2-2, q. 71, 1, o. | 4, c. | 1m.

3 Advocatus auxilium et consilium praestat ei, cujus causae patrocinatur 2-2, q. 71, 3, c. Simonia 13.

4 Advocatus suscipiens scienter causam injustam, injuste laedit eum contra quem injuste patrocinium praestat 2-2, q. 71, 3, c. | 1m.

5 Advocatus suscipiens causam injustam, quamvis laudabilis videatur quantum ad peritiam artis, tamen peccat quantum ad injustitiam voluntatis, qua abutitur arte ad malum 2-2, q. 71, 3, 1m.

6 Si in processu perpendit advocatus causam esse injustam, non prodat, sed cesset inducens ad concordiam sine damno alterius 2-2, q. 71, 3, 2m.

7 Advocato defendenti causam justam licet prudenter occultare ea

Aequipollere. Marchio. Religio 107.

1 AEQUITAS est pars justitiae et continetur sua epiikia 2-2, q. 60, 3m. Justitia 22. * Deus 227. Dominium 16. Fornicatio 15.

2 Homo est eadem ei 2-2, q. 120, 1. c. * Liberalitas 9. Tributum 5. Usura 9, 35, 106, 107, 124, 126, 145, 146, 170, 196, 199, 200.

Aequivalens non potest reddi Deo, nec parentibus. Sed sufficit reddere id quod est possibile 1-2, q. 100, 7, 1m | 2-2, q. 57, 1, 3m | q. 62, 3, 1m | q. 80, c. | q. 81, 5, 3m | q. 102, 1, 3m | q. 106, 6. 1m | 3a q. 85, 3, 2m | 1, d. 17, q. 1, 1, 7m | 3, d. 9, q. 1, a. 1, q. 4, 3m | d. 33, q. 4, a. 4, q. 1, c. | 4, d. 14, q. 1, a. 1, q. 5, c. | 1m | d. 15, q. 1, 2, c. | 3m | a. 3, q. 4, 1m | d. 46, q. 1, a. 1, q. 1, c. | Virt. q. 2, 11, 11m | Rom. 13, lect. 2, prino | Ethi. 8, fi. * Beneficium 11. Infamia 2. Usura 94, 206, 231, 240, 249, 288, 301. Vendere 9.

1 AEQUIVOCA significant multa, non autem nihil, contra Alexandrum. Periher. lect. 5, fi. 7.

2 Diversitas significationis, causat aequivocationem, non autem diversitas suppositionis vel praedicationis 1a q. 13, 10, 1m | q. 29, 4, 4m | 3, d. 6, q. 1, 3, 1m | Cg. 4, co 49, 11m | Poa q. 9, 4, 6m | Unio. 2, 4m | Quol. 3. 4, 1m | Opus. 3, co 217.

3 Aequivoca dividuntur secundum res significatas, univoca secundum differentias, analoga vero secundum modos 1, d. 22, 3, 2m. * Actio 3.

4 Aequivoca duplicia: scilicet a casu, et secundum analogiam, idest secundum proportionem. Ethi. lect. 7, fi. * Actus 34.

5 Aliquid dici de multis secundum diversas rationes contingit dupliciter, scilicet. Uno modo secundum rationes omnino diversas, non habentes respectum ad aliquid unum. Et ista dicuntur aequivoca a casu, quia scilicet casu accidit quod unum nomen, unus homo imposuit uni rei, et alius alii rei, ut praecipue patet in diversis hominibus eodem nomine nominatis. Alio modo unum nomen dicitur de multis, secundum rationes diversas non totaliter sed aliquo modo in aliquo convenientes, quandoque quidem in hoc quod referuntur ad unum principium, sicut res aliqua dicitur militaris, vel quia est instrumentum militis, sicut gladius, vel quia est tegmentum ejus, sicut lorica, vel quia est vehiculum ejus, sicut equus. Quandoque autem in hoc quod referuntur ad unum finem, sicut medicina dicitur sana, eo quod est factiva sanitatis in animali, urina vero dicitur sana, eo quod est sanitatis significativa. Quandoque vero secundum proportiones diversas ad idem subjectum, sicut qualitas dicitur ens, quia est dispositio per se entis, idest substantiae; quantitas vero eo quod est mensura ejusdem, et sic de aliis. Vel secundum unam proportionem ad diversa subjecta. Eamdem enim proportionem habet visus ad corpus et intellectus ad animam. Unde sicut visus est potentia organi corporalis, ita etiam intellectus est potentia animae absque participatione corporis. Hunc autem modum praefert Philosophus, quia accipitur secundum bonitatem inhaerentem rebus. Primi autem modi accipiuntur secundum bonitatem separatam, a qua non ita proprie aliquid denominatur. Ethi. lect. 7, fi. 1.

6 Aequivoca et univoca dicuntur dupliciter: scilicet physica, idest secundum esse; et logica, idest secundum communem intentionem. Poa q. 7, 7, 8m.

7 Univocatio et aequivocatio respiciunt essentiam, non autem suppositum. Quol. 3, 4, 1m fi. * Agens 1, 10, 12, 29, 30, 48, 88, 99, 100.

8 Omnis aequivocatio praesupponit univocationem, non autem generatio aequivoca praesupponit generationem univocam, sed e converso 1a q. 13, 5, 1m | Verit. q. 10, 13, 3m. * Analogia 10, 13. Angelus 96, 113, 117, 559, 565, 607. Anima 118. Animal 7. Assistere 5.

9 In pure aequivocis non attenditur ordo, nec respectus nec similitudo 1, d. 31, q. 2, 2m | Cg. 1, co 33 | Ethi. lect. 7, fi. * Causa.

10 Oppositum videtur dicere 2a q. 13, 10, 4m * Commune 5, 6. Contradictio 1. Corporalia 7.

11 Nomen speciei, non aequivoce praedicatur de individuo et specie. Quol. 3, 6, 4 | Meta. 7, lect. 9, fi. * Ens 22, 23, 31. Generatio 29, 30.

12 Praedicaretur autem aequivoce de eo, si praedicaretur de eo, inquantum significaret hoc individuum prout hujusmodi. Meta. 7, lect. 9, fi.

13 Si dicam, Socrates est homo, non aequivocatur nomen hominis. Meta. 7, lect. 9, fi. * Gratia 107. Habitus 80. Hypostasis 2. Materia 21.

14 Sed si hoc nomen homo imponatur alicui singulari homini, ut proprium nomen, aequivoce significabit speciem, et hoc individuum. Meta. 7, lect. 9, fi. * Motus 3, 5, etc. Nomen 32, 38. Processio 4, 7. Propter 7. Recipere 1. Sacramentum 126. Sensus 40. Unum 2. Zelus 7.

Aequum. Affinitas 9, 15. Amor 104. Beneficium 24. Deus 227. Potentia 62, 63. Usura 13, 26, 124.

1 AER secundum inferiorem partem est locus avium 1a q. 71, 3m | 2, d. 15, q. 2, 1, 4m. Anima 19, vel Daemon 121. * Accidens 73. Amor 58, 194.

2 Aves sunt productae principaliter ex aere inferiori, secundum considerationem motus. 1a q. 71, 3m | 2, d. 15, q. 2, 1, 3m.

3 Aer prope terram est lucidior, et calidior, quam in medio 2, d. 6, 3, 3m. * Anima 96, 104. Animal 10, 13, 19, 20.

4 Aer est activior aqua quo ad formas substantiales, sed e converso quo ad qualitates activas et passivas 2, d. 8, L. prino.

5 Aer purus non potest plus illuminari ab eodem 1, d. 17, q. 2, 4, c. fi. * Auster. Calor 9. Caelum 53, 55, 60. Cete 6, 7.

6 Aer et aqua possunt alterari amittendo suam naturalem qualitatem: non autem ignis, quia formalior est, contra Averroim. Anima 2, lect. 23. * Cibus 1. Corpus 35, 42. Creatura 6. Damnatio 66. Daemon 121, 122, 123. Dies 24. Aethereum.

7 Aer densatus potest figurari et colorari 1a q. 51, 2, 3m | 2, d. 8, 3, c. | 4m | Potentia q. 6, 7, 7m. Angelus 76. Daemon 122. Eucharistia 129. Halo.

8 Species colorum est in aere et in alio medio intentionaliter et incomplete 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 2, 4, c. | Verit. q. 27, 1, 4m | Quol. 7, 2, 5m. Lumen 9. * Elias 4. Ignis 2, 16. Instans 15, 16. Intentionale 2. Ira 52. Judicium 83. Loqui 6. Luciditas 2. Lux 20. etc.

9 Oppositum videtur dicere a simili 1a q. 67, 3, c. | 2, d. 13, 3, c. | Anima 2, lect. 14.

10 Ignis et aer moventur circulatione completa, aqua vero incompleta, terra autem nullo modo, nisi secundum partes per alterationem. Caeli lect. 4, mea 2. | Lect. 6, fi. Motus 36. * Nubes 2. Odor 2, 4. Palpabile 3.

11 Aer vel aliquod corpus medium, requiritur necessario ad motum violentum, non ad naturalem, nisi ad bene esse. Caeli 3, lect. 6, prino. * Paradisus 3, 4. Piscis 1. Pluvia 3. Sapor. Serenitas. Somnium 2. Spiritus 4. Stella 7.

12 Facilius sit ignis ex aere, quam e converso. Opusc. 17, co 5. Tactus 11. Vapor 1. Verbum 17. Vox 3, 4.

13 Aer et ignis non describuntur in principio Bibliae, quia cum sint insensibiles non sunt ita manifesti rudibus, quibus Moyses loquebatur, sicut terra et aqua 1a q. 66, 1, 5m | q. 68, 3, c. | 3m | q. 71, 3m | q. 74, 1, 2m | q. 91, 1, 4m | 2, d. 14, 2, 2m | 5, 1m | Poa q. 4, 1, 2m | q. 5, 9, 15m | Hebr. lect. 5, prino.

Aerarium publicum. Princeps 23.

Aes. Usura 19.

Aestas. Apis 3. Aequinoctialis 2.

Aestimare. Diffidentia. Praeceptum 139.

1 AESTIMATIO rationis, semper corrumpitur in peccante in universali, vel in particulari, per delectationes, et alias passiones 2-2, q. 162, 4, 1m | 2, d. 21, q. 2, 1, 5m | Verit. q. 15, 3, 6m | Ma. q. 8, 4, 1m.

2 Aestimatio falsa de particulari agibili, est ex tribus: scilicet ex passione, habitu vitii, et ignorantia universali. Contra primum est recta aestimatio finis. Contra secundum, est sanitas alicujus potentiae. Contra tertium vero, est ratio in contrarium. Verit. q. 24, 10, 11. c. * Accusatio 17. Amor 172. Angelus 354. Animal 44. Appetitus 93. Aureola 25.

3 Passiones animae, non ita corrumpunt aestimationem speculativam, sicut practicam 3, d. 27, 1, 1m. * Bonitas 171. Causa 11. Conceptio 11, 42. Aestimativa o. Damnum 4. Delectatio 30, 37, 55. Daemon 23, 44, 45. Desperatio 1. Diffidentia. Falsitas. Fides 101. Haeresis 11. Honor 19. Instinctus. Intellectus 301. Invidia 1. Jejunium 36, 37. Nemesis 2. Peccatum 144. Perfectio 83. Praeceptum 139. Praesumptio 11. Pretium. Prophetia 31. Prudentia 24. Ratio 52. Restitutio 15. Securitas 4. Senectus 3. Sensualitas 9. Spes 32, 34, 36. Superbia 6, 33. Suspicio 4. Voluntas 75. Usura 140, 146.

1 AESTIMATIVA. Vis aestimativa, est potentia apprehensiva convenientis et nocivi. Ideo comparatur ad appetitum sensitivum, sicut intellectus practicus ad voluntatem 1a q. 78, 4, c. | d. 24, q. 2, 1, c. | 3, d. 26, q. 1, 2, c. * Anima 265.

2 Aestimativa participat aliquid rationis. Ideo est suprema potentia partis sensitivae 3, d. 26, q. 1, 2, c. | d. 35, q. 1. a. 2, q. 2, 1m Verit. q. 25, 2, c. fi. Anima 265. * Animal 45. Appetitus 57, 58. Elephas 3. Intellectus 175, 288.

3 Aestimativa nullum individuum apprehendit, inquantum substat naturae communi, sicut cogitativa in homine; sed tantum, ut est principium vel terminus actionis vel passionis bruti 1a q. 78, 4, 5m fi. | Anima 2, lect. 13, fi.

4 Aestimativa apprehendit rationem convenientis et nocivi, quam sensus exterior non apprehendit 3, d. 17, a. 1, q. 2, 2m | Verit. q. 25, 2, c. * Sensualitas 3. Sensus 29.

Aestivalis. Tropicus.

Aestuare. Paradisus 10.

Aestus. Accidia 12. Aequinoctialis 1. Ignis 20.

1 AETAS. Aetates mundi sunt sex, ad similitudinem sex aetatum hominis: scilicet prima, infantia mundi, ab Adam usque ad Noe, in qua fuit humani generis institutio et lapsus. Secunda, pueritia, a Noe usque ad Abraham, in qua fuit humani generis destructio per diluvium et renovatio. Tertia, adolescentia, ab Abraham usque ad David, in qua fuit circumcisionis et legis institutio. Quarta, juventus, a David usque ad transmigrationem Babylonis, in qua lex floruit sub regibus et prophetis.

AGENS

Agenda. Agibile. Adam 64. Angelus 228, 234, 215, 421, 445. Anima 290. Beatus 7. Conscientia 12. Consilium 11, 19. Diaconus 4. Dispositio 12, 43. Finis 63. Innocentia 20. Intellectus 169. Lex 3, etc. Lumen 22. Mensura 14, 23. Modestia 2, 3. Negligentia 6. Prophetia 93. Ratio 40. Salvari 14. Scientia 164. Syllogismus 5, 6, 7. Sollicitudo 2. Valitudo.

1 AGENS triplex: scilicet univocum, analogum et aequivocum 1ª q. 13, 5, o. | 1-2, q. 60, 1, c. | 1, d. 8, q. 1, 2, c. | 2, d. 1, q. 2, 2, c. | d. 14, 2, 3^m | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 4, c. | Potentia q. 7, 1, 8^m | Ma. q. 4, 3, c. | Phy. 2, lect. 11, prinº 2 | Libº 8, lect. 10, prinº 3. Actio 3. Ut Causa 38. Deus 449.

2 Agens quincuplex: scilicet adjuvans, consulens, disponens, perficiens principale et perficiens instrumentale 1-2, q. 17, 1, art. 1, | 3, d. 19, art. 1, q. 1, c. | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. | d. 5, q. 1, 2, c. | Ma. q. 3, 3, c. | Meta. 5, lect. 2, prinº | Phy. 2, lect. 5, meº Cooperari 2. * Augmentum 8. Civis 1. Consilium. Damnatio 2. Differentia 22, 23. Electio 4. Ex 2, 4, etc. Exclusio 4. Filiatio 6. Finis 5, 28, 36, 78, 124, 125. Fortuna 2.

3 Agens duplex: scilicet naturale, et voluntarium 1ª q. 19, 4, c. | q. 41, 2, c. | q. 47, 1, 1^m | 1-2, q. 10, 1, 1^m | 1, d. 17, q. 2, 3, c. | 2, d. 1, q. 1, 5, 11^m | d. 25, 1, c. | Cg. 2, cº 23, o. | 46, o. | Libº 3, cº 2, 5^m | 99, 1^m | Potentia q. 3, 15, c. | Dionysius 4, lect. 16 | Phy. 8, lect. 2, fi. | Lect. 21, meº. * Imaginativa 5. Ingratitudo 11. Malum 43, 44.

4 Agens duplex: scilicet divinum idest dans esse, et naturale idest trasmutans 2, d. 15, q. 1, 2, c. | Potentia q. 5, 1, c. Esse 16. * Meritum 103.

5 Agens duplex: scilicet in esse et in fieri. Primum conservat effectum in esse et in fieri, secundum tantum in fieri 1, q. 104, 1, c. | 2^m | 2-2, q. 52, 3, c. | 1, d. 37, q. 1, 1, o. | 2, d. 18, q. 2, 2, c. | Poª q. 5, 1, o. | Jo. 5, lect. 2, meº 7 | Heb. lect. 2, meº | Meta. 5, lect. 2, fi. | 3, fi. | Phy. 2, lect. 5, fi. Esse 25.

6 Agens duplex: scilicet principale et instrumentale 3, q. 48, 6, c. | q. 62, 1, c. | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. | d. 5, q. 2, art. 2, q. 2, c. | d. 19, q. 1, art. 2, q. 1, c. | Ma. q. 4, 1, 15^m | 16^m | 3, c. vel Sacerdos 28, Semen 8. Actio 76, 77, 78. Natura 4.

7 Agens duplex: scilicet propinquum et remotum. Et utrumque duplex: scilicet per se et per accidens 2, d. 33, q. 1, 3, 2^m | Ma. q. 4, 6, 15^m.

8 Agens dupliciter dividitur: scilicet ex parte effectus, in perficiens, et disponens: et ex parte causae, in principale et instrumentale 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c.

9 Agens remotum per se, plus influit quam propinquum. Sed in agente per accidens est e converso. Ma. q. 4, 6, 15^m. Causa 64, 73, 74, etc.

10 Agens analogum est causa universalis totius speciei, non autem univocum, sed tantum individui 1, q. 13, 5, 1^m | q. 104, 1, c. Causa 33, 38.

11 Agentia differunt dupliciter: scilicet secundum naturam, et secundum virtutem activam 1-2, q. 23, 3, c. Actio 4.

12 Agens univocum est proportionatum passo; ideo facit effectum ejusdem speciei vel rationis: non autem aequivocum 1ª q. 13, 5, c. | 1^m | 1-2, q. 60, 1, c. | 1, d. 8, q. 1, 2, c. | d. 35, 4, 1^m | 2, d. 1, q. 2, 2, c. | d. 14, 2, 3^m | d. 15, q. 1, 2, 4^m | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 4, c. | d. 44, q. 3, art. 1, q. 3, 2^m | Poª q. 7, 1, 8^m | 5, 7, c. | Ma. q. 4, 3, c. | Phy. 2, lect. 11, prinº 2. Actio 4. Causa 36, 37. * Damnatio 2. Differentia 22, 23. Factibilia. Finis 28. Gratia 102. Haeresis 105. Individuum 10.

13 Agens voluntarium determinat sibi finem, non autem agens naturale 1ª q. 19, 4, c. | 1, d. 35, 1, c. | 2, d. 25, 1, c. | Poª q. 3, 15, c. prinº | Opusc. 3, cº 96. * Ira 72. Materia 26. Minister 4, 7. Miraculum 5, 9. Motus 57.

14 Agens naturale determinatur ad unum effectum, non autem agens per intellectum 1ª q. 19, 4, c. | q. 41, 1, 2, c. | q. 47, 1, 1^m | q. 116, 1, c. | 1-2, q. 10, 1, 1^m | 2, d. 18, q. 2, 2, c. | Cg. 2, cº 23, 1^m | Libº 3, cº 100, 2^m | Poª q. 3, 13, c. | 15, c. meº | Diony. 4. lect. 16 | Opusc. 3, cº 96. Actio 44. Forma 59. Natura 15, etc. * Principiatum 3. Resistere 2. Totum 15, 16.

15 Actio naturalis agentis proportionatur naturae ejus, non actio agentis per intellectum 1ª q. 41, 2, c. | 2, d. 18, q. 2, 2, c. | Cg. 3, cº 99, 1^m | Phy. 8, lect. 21, meº.

16 Agens naturale proximum est tantum generans hanc rem; sed agens primum, scilicet divinum est creans 2, d. 1, q. 1, 3, 5^m. Creatio 23, etc. 30. Causa 34, 38.

17 Agens naturale est causa in fieri tantum, sed agens divinum est causa in esse et fieri 1ª q. 104, 1, c. | 1, d. 37, q. 1, 1, o. | Cg. 3, cº 65, 4^m | Verit. q. 2, 3, 20^m | q. 5, 2, 6^m | 8, 8^m. Poª q. 3, 7, c. meº | q. 5, 1, c. | 4^m | 5^m | Opusc. 3, cº 132 | Jo. lect. 2, meº 7 | Meta. 7, lect. 15, prinº. Esse 11, 25. Causa 35.

18 Agens naturale est causa motus tantum, sed agens divinum est causa ipsius esse 1, d. 7, q. 1, 1, 3^m | d. 37, q. 1, 1, c. | 2, d. 1, q. 1, 2, 1^m | Jo. lect. 2, meº 2. Creatio 2. Esse 13.

19 Agens naturale agit per motum; ideo requirit materiam, non autem agens divinum 1ª q. 90, 3, c. | 2-2, q. 172, 3, c. | 1, d. 7, q. 1, 1, 3^m | d. 14, q. 3, c. | d. 42, q. 1, 1, 3^m | 2, d. 1, q. 1, 2, 1^m | 4, 4^m | d. 15, q. 1, 2, 4^m | 4, d. 8, q. 2, 3, 2^m | Cg. 2, cº 16 | Libº 3, cº 100, 2^m | Libº 4, cº 63 | Verit. q. 27, 3, c. | Poª q. 5, 1, c. | 5^m | 4^m | Jo. 1, lect. 3 | Meta. 7, lect. 15, prinº | Phy. 8, lect. 2, prinº. Creatio 9, 15. Causa 67. Natura 4, 19.

20 Omnis causa inferior est agens instrumentale, respectu causarum superiorum 2, d. 15, q. 1, 2, o. | Cg. 2, cº 21, 4^m | 87, 3^m | Libº 3, cº 64, 4^m | Poª q. 3, 7, c. meº.

21 Omne movens motum est instrumentum 4, d. 40, 1, 1^m | Cg. 2, cº 21, 4^m | Libº 3, cº 100, 2^m | Verit. q. 26, 1, 8^m. Natura 4. * Adoptio 17, 18. Ars 1, 17, 18, 25, etc. 41, 42. Balivus. Barbarus 2. Bonitas 147. Calor 1, 4, 6, 10, 11, 19, 20.

22 Agens principale est primum movens, sed instrumentale est movens motum 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. | Cg. 2, cº 21, 4^m.

23 De ratione agentis instrumentalis est esse movens motum 3ª q. 19, 1, 2^m | q. 63, 5, 2^m | 4, d. 1, q. 1, art. 4, q. 1, c. | Cg. 2, cº 21, 4^m | Libº 3, cº 112, 1^m | Verit. q. 27, 4, c. meº. * Causa 28, 35, etc. 49, 81, etc. Cibus 4. Conservatio 4, 5, 9.

24 Agens secundarium non agit sine principali, sed cooperatur principali agenti 3ª q. 71, 4, c. Actio 73. Causa 17. Cooperari 1. Creatura 21. * Correctio 6, 7. Creatio 2, 19, 26, 27, 31. Cultus 10. Datio 12.

EUCHARISTIA

206 Non manducantium corpus Christi, tres sunt species, sive tres turmae: scilicet infideles, negligentes et contemnentes. Opus. 57, cº prinº.

207 Pueris non debet dari Eucharistia, nisi cum incipiunt habere aliqualem usum rationis ut possint concipere devotionem hujus sacramenti, scilicet in decimo vel undecimo annis 3ª q. 80, 9, 3m | 4, d. 9, a. 5, q. 4, o. | d. 23, q. 2, a. 2, q. 4, c. | Jo. 6, lect. 7, prinº 2.

208 Graeci dant Eucharistiam pueris recenter natis baptizatis, propter hoc quod Dionysius dicit, baptizatis esse sacram communionem dandam, non intelligentes, quod Dionysius ibi loquitur de baptismo adultorum 3ª q. 80, 9, 3m.

209 Amentibus post fidem et devotionem, debet dari Eucharistia in mortis articulo, nisi sit periculum vomitus, vel expuitionis. Non autem si ante amentes fuerunt, et sic a nativitate remanserunt 3ª q. 80, 9, o. | 4, d. 9, a. 5, q. 3, o. | Jo. 6, lect. 7, prinº 2.

210 Daemoniacis debet dari Eucharistia, nisi certum sit quod pro crimine torqueantur, non autem energumenis 3ª q. 80, 9, 2m | 4, d. 9, a. 5, q. 3, 2m | Jo. 2, lect. 3, fi.

211 Nihil praeter peccatum mortale, impedit necessario sumptionem Eucharistiae, secundum tantum de congruo, ut coitus matrimonialis, nocturna pollutio et fluxus seminis temporalis, quando sunt sine mortali, usque ad alium diem 2-2, q. 154, 5, o. | 3ª q. 80, 7, o. | 4, d. 9, a. 4, q. 2, o. * Confessio 32. Debitum 24, etc. Excommunicatio 23. Idolatria 11, 12.

212 Praeligendum est esse suspectum quam indigne sumere Eucharistiam 3ª q. 80. 6, 2m | 4, d. 9, a. 5, q. 1, 3m.

213 Eucharistia sumitur indigne tripliciter: scilicet indevote, cum voluntate peccandi, et celebrando contra ritum ecclesiae 1ª Cor. 11, lect. 7, prinº.

214 Oppositum videtur dicere 3ª q. 83, 2, 5m | 4, d. 12, q. 3, a. 1, q. 4, 1m.

215 Suspectis violenter et publicis, debet omnino negari Eucharistia 3ª q. 80, 6, 3m | 4. d. 9, a. 5, q. 2, o.

216 Peccatori occulto petenti occulte Eucharistiam, debet negari. Si vero publice petat, debet dari. Sed peccatori publico debet omnino negari 3ª q. 80, 6, o. | q. 81, 2, c. | 2m | 4, d. 9, a. 5, q. 1, o. | q. 2, c. | Quol. 5, 12, c.

217 Aliquis arcetur ab Eucharistia sine culpa: scilicet suspensi, interdicti et excommunicati etiam excommunicatione minori 4, d. 18, q. 2, a. 4, q. 3, 3m.

218 Oppositum videtur dicere 4, d. 9, a. 5, q. 1, c.

219 Sumens Eucharistiam cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter 3ª q. 79, 2, 2m | 3, o. | q. 80, 4, o. | 7, 8, c. | 4, d. 9, a. 3, q. 1, o. | a. 4, q. 2, c. | d. 11, q. 2, a. 1, q. 2, 3m | d. 12, q. 2, a. 2, q. 3, 1m | 1ª Cor. 11, lect. 7, meº.

220 Sumens Eucharistiam in peccato mortali ignorato, facta diligenti discussione etiam non sufficienti, non peccat 3ª q. 80, 4, 5m | 4, d. 9, a. 3, q. 2, o. | d. 15, q. 1, a. 3, q, 2, 2m | d. 16, L. meº. Missa 8. * Immunitas 2. Indevotio.

221 Ante confessionem de mortali, nullus debet sumere Eucharistiam, si habet copiam confessoris et necessitas non urget sicut urgentur sacerdotes parochiales 4, d. 16, L. meº | d. 17, q. 2, a. 5, q. 1, 2m | q. 3, a. 1, q. 4, c. | 1ª Cor. 11, lect. 7, prinº.

222 Immo quilibet qui in peccato mortali exhibet se ministrum ecclesiae, in aliquo spirituali, peccat mortaliter 2-2, q, 33, 5, o. | 4, d. 19, q. 2, a. 2, q. 2, o.

223 Non esset consulendum alicui, quod statim post peccatum mortale, vel etiam contritus et confessus ad Eucharistiam accederet, sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere. Et praeterea Eucharistia purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem et hebetudinem quae contingit in mente, ex depressione ipsius ad carnem. Unde etiam post contritionem et confessionem gravium peccatorum consilium videtur esse Augustini, quod non statim homo accedat propter reverentiam sacramenti, et ut magis seipsum probet 4, d. 9, a. 4, q. 2, 2m | d. 16, L. meº.

224 Experimentum non debet sumi de peccatis, cum Eucharistia 3ª q. 80, 6, 3m | 4, d. 9, a. 5, q. 2, 2m.

225 Injuria fit Eucharistiae, si hostia consecrata consecrétur iterum 4, d. 6, q. 2, a. 1, q. 1, 1m | d. 11, L. meº | d. 12, q. 3, a. 1, q. 1, 1m | Cg. 4, cº 59, fi.

226 Oppositum videtur dicere a simili 3ª q. 66, 9, 4m | q. 68, 7, 2m | 11, 4m | 4, d. 6, q. 2, a. 1, q. 1, c. Unctio 18.

227 Sacerdos faciens fictionem in consecrando Eucharistiam, multo gravius peccat, quam indigne sumens eam 3ª q. 80, 6, 2m | Quol. 5, 12, 3m. * Idolatria 11.

228 Infidelis est indignior fideli, ad sumendum Eucharistiam. Sed fidelis cum mortali indignius sumit 3ª q. 80, 5, 2m | 4, d. 9, a. 3, q. 4, o.

229 Sumens Eucharistiam cum peccato spirituali, gravius peccat, quam sumens cum peccato carnali 3ª q. 89, 5, 2m | 4, d. 9, a. 3, q. 4, o.

230 Peccatum indigne sumentium Eucharistiam est minus grave peccatis commissis in Deum, et gravius peccatis contra proximum, vel contra seipsum 3ª q. 80, 5, o. | 4, d. 9, a. 3, q. 3, o. | 1ª Cor. 11, lect. 5, meº.

EUCHARISTIA

231 Est etiam minus grave peccato occisionis Christi et proditionis ejus 3ª q. 80, 5, 1m | 2m | 4, d. 9, a. 3, q. 3, 1m | 1ª Cor. 11, lect. 7, meº.

232 Et est minus grave projectione ejus in lutum 3ª q. 80, 5, 3m | 4, d. 9, a. 3, q. 3, 2m.

233 Manducantem indigne corpus Christi tria mala sequuntur: scilicet peccati sui aggravatio, a gratia Christi separatio et ad aeternam poenam condemnatio. Vel alia tria mala: scilicet magna culpa, Dei offensa et multiplex plaga. Opus. 58, cº 17 | 18.

234 Hujusmodi mala possunt dici tres plagae: scilicet multa damna spiritualium bonorum, sterilitas terrae sive caristia temporalium, pestes corporum, sive strages hominum. Opus. 58, cº 18.

235 Contra has plagas et omnia dicta mala est triplex remedium: scilicet emendatio vitae per poenitentiam voluntariam, correctio malitiae per superiorum disciplinam, et mutatio incorrigibilis personae per justitiae districtionem. Opus. 58, cº 18.

236 Eucharistia non imprimitur characterem 3ª q. 63, 6, c. | q. 80, 1, 3m | 10, 1m | 4, d. 7, q. 3, a. 1, q. 2, 2m | a. 3, q. 3, 1m.

237 Eucharistia ordinatur ad hoc ut homo adhaereat Christo et perficiatur 4, d. 2, q. 1, 2, c. | d. 4, q. 2, a. 1, q. 2, 3m.

238 Sine manducatione spirituali Eucharistiae non potest esse salus 3ª q. 80, 11, c. | 4, d. 9, a. 1, q. 2, 1m. * Amor 67.

239 Incorporatio ad Christum, quo ad perfectionem influentiae est effectus Eucharistiae, quae praesupponit ipsam incorporationem absolute, per baptismum causatam 4, d. 4, q. 2, a. 2, q. 5, 2m.

240 Eucharistia inquantum est sacramentum prodest tantum sumentibus; sed ut est sacrificium, prodest etiam aliis 3ª q. 79, 3, 8m | q. 79, 5, c. | 7, o. | 4, d. 12, q. 2, a. 2, q. 2, 4m | d. 45, q. 2, a. 3, q. 1, 3m | Jo. 6, lect. 6, fi. | 1ª Cor. 11, lect. 6, fi.

241 Eucharistia est sacramentum passionis et mortis Christi, inquantum perficit hominem in unione ad Christum passum 3ª q. 73, 3, 3m | 5, 2m.

242 Eucharistia est memoriale passionis Christi 3ª q. 66, 9, 5m | q. 73, 4, 5, o. | q. 74, 1, c. | q. 76, 2, 2m | q. 79, c. 1, | 4. d. 2, q. 1, 2, 1m | d. 4, q. 2, a. 1, q. 2, 3m | d. 8, q. 1, a. 1, q. 3, c. | a. 2, q. 1, b. 1 | a. 3, q. 3, o. | q. 2, a. 1, q. 1, 1m | a. 2, q. 1, 2m | d. 12, q. 1, a. 3. q. 1, 2m | 3m | q. 2, 1m | 1ª Cor. 11, lect. 5, meº.

243 Eucharistia ordinat ad refectionem mentis 3ª q. 73, 1, 2, c. | q. 79, 8, c. | 4, d. 9, q. 1, a. 1, 1m | a. 2, q. 1, 2m.

244 Effectus Eucharistiae triplex: scilicet satietas, laus et vita. Psal. 21, fi.

245 Hoc sacramentum non habet suos effectus, nisi in conjunctis ei per fidem et charitatem 3ª q. 79, 2, 2m.

246 Eucharistia est sacramentum charitatis Christi expressivum et charitatis nostrae factivum 3ª q. 73, 3, 3m | q. 75, 1, c. | q. 78, 3, 6m | q. 79, 1, c. | 4, c. | 2m | 4, d. 8, q. 2, a. 2, q. 3, 5m | d. 21, q. 3, 3, c. | 1ª Cor. 11, lect. 7, meº.

247 Effectus non principalis Eucharistiae, sed consequens augmentum charitatis est diminutio fomitis 3ª q. 79, 6, 3m.

248 Quidquid est effectus passionis Christi, est effectus Eucharistiae 3ª q. 79, 1, c. | q. 84, 1, c. | Jo. 6, lect. 6, fi.
Oppositum videtur dicere 4, d. 2, q. 1, 2, 1m.

249 Per baptismum datur primus actus vitae spiritualis, sed per Eucharistiam datur complementum ejus 3ª q. 79, 1, 8, c. | 2m | 6, 2m | q. 82, 2, 3m | 4, d. 9, a. 5, q. 4, 2m | d. 12, q. 2, a. 1, q. 3, 2m.

250 Eucharistia facit omnem effectum vitae spiritualis, ad similitudinem cibi corporalis, quia sustentat, auget, reparat, et delectat 3ª q. 79, 1, o. | 8, c. | q. 81, 1, 3m | 4, d. 7, q. 1, art. 2, q. 2m, 4.

251 Effectus proprius Eucharistiae est transformatio hominis in Deum, ad quem sequitur augmentum virtutum, et restauratio perditorum 4, d. 12, q. 2, a. 1, q. 1, c. | a. 2, q. 1, 3, c. * Confirmatio 30, 31, 36. Immunitas 2.

252 Eucharistia ordinatur ad ultimum effectum passionis Christi, quasi completissime ab ea efficaciam habens 4, d. 2, q. 1, 2, 1m. * Indevotio. Missa. Suffragia 3. Thurificatio 2. Unctio 10, etc.

253 Eucharistia valet contra omnes spirituales defectus. Ideo cum singulis sacramentis datur, quasi consummans effectus uniuscujusque 4, d. 2, q. 1, 2, 1m.

254 Corpus Christi offertur pro salute corporis, et sanguis pro salute animae, secundum similitudinem; secundum rem vero, utrumque offertur pro utroque 3ª q. 73, 1, c. | q. 74, 1, o. | q. 76, 2, 1m | q. 79, 1, 3m | 4, d. 11, q. 2, a. 1, q. 1, c. | L. meº | Jo. 6, lect. 7, meº 5 | 1ª Cor. 11, lect. 5, meº.

255 Eucharistia auget beatis gloriam accidentalem, non autem essentialem 4, d. 12, q. 2, a. 1, q. 2, o.

256 Effectus Eucharistiae est adeptio gloriae, non quidem statim, sed inquantum dat virtutem perveniendi ad gloriam 3ª q. 79, 2, o. | q. 80, 2, 1m | Jo. 6, o.

257 Eucharistia dat quinque: scilicet veniam culpae, vitam gratiae, confirmationem in pugna, confortationem in via, et praegustationem gloriae. Isa. 4, fi.

258 Effectus omnium sacramentorum possunt ascribi Eucharistiae,

habenti quasi in capitulo, et in summa, omnia quae alia sacramenta habent sigillatim, secundum Dionysium 4, d. 8, q. 1, a. 2, q. 2, 4^{m}.

259 Dei liberalitas in sacramento Eucharistiae assignatur in tribus: scilicet quantum ad magnificentiam doni, nobilitatem dantis, et utilitatem accipientis. Opus. 58, c^{o} 5.

260 In Eucharistiae sacramento renovantur omnia mirabilia, quae Deus ab initio fecit. Opus. 58, prin^{o}.

261 Eucharistiae sacramentum, intellectum illuminat, concupiscentiam sanat, et mortem vivificat. Opus. 58, c^{o} 6.

262 Effectus duplex Eucharistiae: scilicet bonitatis in bonos, et severitatis in malos. Opus. 58, c^{o} 18.

263 Corpus Christi digne manducantem, sequuntur tria bona: scilicet poenae debitae relaxatio, divinae gratiae restitutio, aeternae gloriae acquisitio. Opus. 58, c^{o} 17, fi.

264 Effectus, sive fructus principales Eucharistiae sunt tres: scilicet peccatorum destructio, bonorum spiritualium largitio, vel augmentatio, et animarum confortatio, vel vitae aeternae collatio. Opus. 57, c^{o} 24.

265 Effectus Eucharistiae possunt sumi ex tribus ejus nominibus. Dicitur enim aliquando medicina spiritualis, manna,, idest panis caelestis, et Eucharistia, idest bona gratia. Opus. 58, c^{o} 26.

266 Effectus Eucharistiae sumuntur etiam ex aliis tribus ejus nominibus. Dicitur enim verus panis, sacramentum altaris, et sacramentum charitatis. Opus. 58, c^{o} 25.

267 Contra duodecim nostros languores, qui scilicet sunt daemonis tentatio, fomitis repugnatio, cordis macula, creatoris offensa, defectus in cognitione sui, in dilectione proximi, in sapore spirituali, in consummatione boni, debitum mortis aeternae, defluxus bonae vitae, exilium mundanae miseriae, et incineratio corporalis materiae, ordinantur duodecim effectus vel fructus Eucharistiae: scilicet quia Eucharistia daemonem fugat, fomitem refrigerat, maculam cordis mundat, iram Dei placat, intellectum ad scipsum cognoscendum illuminat, voluntatem sive affectum in dilectionem Dei et proximi inflammat, memoriam spirituali dulcedine delectat, totum hominem in bono confirmat, ab aeterna morte liberat, merita bonae vitae multiplicat, ad patriam aeternae vitae deducit, et ad aeternam vitam corporis resuscitat. Opus. 58, c^{o} 21 | 22 | 23.

268 In Eucharistia confertur gratia habitualis, et excitatur fervor actualis devotionis 3^{a} q. 79, 1, 2^{m} | 4, 7, c. | 4, d. 12, q. 2, a. 2, q. 1, 2^{m} | Quol. 5, 6, c.

269 Sumens Eucharistiam sacramentaliter consequitur majorem gratiam, quam prius sumendo spiritualiter tantum 3^{a} q. 80, 1, 3^{m} | 4, d. 9, a. 2, q. 4, 1^{m}.

270 Eucharistia gratiam causat, auget, et excitat eam, et virtutes in actum 3, q. 79, 1, o. | 4, c. | 4, d. 12, q. 2, art. 2, q. 1, 2^{m}.

271 Nullus habet gratiam ante sumptionem Eucharistiae, nisi ex voto ad eam proprio, ut adulti, vel ecclesiae, ut parvuli 3^{a} q. 73, 3, c. | 1^{m} | q. 79, 1, 1^{m} | q. 80, 1, 3^{m} | 11, c.

272 Eucharistia praeservat a peccato dupliciter: scilicet interius reprobando per gratiam, et exterius repellendo omnem impugnationem daemonum per passionem Christi cujus est signum 3, q. 79, 6, o. | 4, d. 12, q. 2, a. 2, q. 2, 1^{m} | d. 45, q. 2, a. 3, q. 1, 3^{m}.

273 Omnia quae impediunt actualem devotionem, scilicet distractiones, et aliqua peccata venialia, impediunt augmentum gratiae 4, d. 12, q. 2, a. 1, q. 3, o. | a. 2, q. 1, 2^{m}.

274 Peccata venialia praesentia impediunt effectum Eucharistiae, quo ad refectionem dulcedinis spiritualis, sed non quo ad augmentum gratiae; sed neutrum horum impediunt praeterita 3^{a} q. 79, 8, o.

275 Eucharistia delet peccata venialia 3^{a} q. 79, 4, o. | q. 87, 3, c. | 4, d. 12, q. 2, a. 1, q. 1, c. | a. 2, q. 1, o.

276 Eucharistia delet peccata mortalia, quorum quis non habet conscientiam, nec affectum 3^{a} q. 79, 3, o. | 4, d. 9, a. 3, q. 2, c. fi. | d. 12, q. 2, a. 2, q. 2, o.

277 Eucharistia fit ablutio scelerum, tripliciter: scilicet ignoratorum, futurorum, vel causando contritionem 3^{a} q. 79, 3, 1^{m} | 4, d. 12, q. 2, a. 2, q. 2, 1^{m}.

278 Eucharistia delet poenam debitam pro peccatis, non quidem totam, sed secundum mensuram peccatorum, et devotionis 3^{a} q. 79, 5, o. | 4, d. 4, q. 2, a. 1, q. 2, 3^{m} | d. 12, q. 2, a. 2, q. 3, o.

279 Eucharistia liberat a purgatorio, inquantum est sacrificium satisfactorium pro peccato 3^{a} q. 52, 8, 2^{m}. * Manna. Sacrificium 25, 38.

Eudimica, ethica Aristotelis 1^{a} q. 82, 4, 3^{m} | 1-2, q. 9, 4, c. fi. | q. 8, 1, 6, 3. Ethica.

Evellere. Infidelitas 11. Sabbatum 10.

Eventus sequens per se, vel ut in pluribus, vel praecogitatus, addit ad bonitatem vel malitiam actus, non autem aliter 1-2, q. 20, 5, o. | q. 73, 8, o. | Ma. q. 1, 3, 15^{m} | q. 3, 10, 5^{m}. * Apostoli 7. Avis 2. Bonitas 221. Divinatio 9, 10. Invidia 6. Justus 8. Necessitas 19, 20. Peccatum 225, 358. Periculum 2 Praedestinatio 16. Religio 73, 74. Solertia 3. Somnium 3. Sors 1, 5, 6. Usura 88, 196, 205.

Euge, est interjectio congratulantis, et exultationis vox. Matth. 25, me^{o} | Psal. 34, fi. o. fi.

Eugnomosyna est idem quod epikia, scilicet voluntaria justificatio 2-2, q. 80, 4^{m} | 5^{m}. * Justitia 22. Legispositiva 2.

Eunomius. Assumere 38, 39. Haeresis 98.

Eunuchus, et frigidus, merentur aureolam, si habent propositum propriae virginitatis, licet non possint coire 4, d. 49, q. 5, a. 3, q. 1, 7^{m}. * Illegitimus 2. Matrimonium 89.

Evomere. Eucharistia 162.

Eupsychia est virtus specialis, scilicet constantia, et est pars potentialis fortitudinis 2-2, q. 128, 6^{m} | 3, d. 33, q. 3, art. 3, q. 4, c. | 1^{m}. Continentia 11.

Eusebia est idem quod religio 2-2, q. 80, 4^{m}. * Cultus 5. Justitia 22. Religio 1, etc.

1 EUSTOCHIA est pars prudentiae bene conjectans omnia, sicut solertia medium 2-2, q. 48, c. | q. 49, 4, c. | Ethi. 6, lect. 8, me^{o}. Conjectare. Prudentia 48.

2 Eustochia est tantum in operativis, solertia vero tam in his quam in speculativis, et tam in necessariis quam in contingentibus 2-2, q. 49, 4, 1^{m} | 3, d. 33, q. 3, a. 1, q. 4, c.

3 Utraque invenit quasi subito, sed eubulia, inquirendo, et tarde 2-2, q. 49, 4, c. | 2^{m} | q. 51, 1, 3^{m} | 3, d. 33, q. 3, a. 1, q. 4, c.

1 EUSTRATIUS episcopus graecus, et commentator Aristotelis, dicens quod epiikes, idest virtuosus, committit adulterium cum uxore tyranni, ut possit occidere eum, et liberare patriam, non est sustinendus. Ma. q. 15, 1, 5^{m}.

2 Dictum Eustratii, quod nullus homo potest assumi ad ordines angelorum, sed omnes homines beati facient decimum ordinem, videtur sapere haeresim 1^{a} q. 108, 8, c. 2, d. 9, 8, c. prin^{o}. Accidens 69, etc. Actus 187. Manducatio 2. Ordo 79. * Haeresis 107. Hierarchia 5.

1 EUTYCHES. Haeresis ejus de unitate naturae in Christo, et de impalpabilitate corporum resurgentium, et Christi, damnatur in concilio Chalcedonensi. Unio. 1, c. Apollinaris 2. Haeresis 85, 86. Unio 14.

2 Eutyches in morte retractavit suam haeresim 3^{a} q. 54, 3, c. fi.

Eutrapelia dicitur a bona versione. Et est virtus circa ludos, et pars modestiae 1-2, q. 60, 5, c. | 2-2, q. 72, 2, 1^{m} | q. 160, 2, c. | q. 168, 2, o. | q. 172, 2, 1^{m} | 2, d. 40, 5, c. fi. | 3^{m} | d. 44, q. 2, 1, 3^{m} | 3, d. 33, q. 2, a. 1, q. 1, c. | q. 3, a. 2, q. 1, 3^{m} | d. 34, q. 1, 2, c. | 4, d. 16, q. 4, a. 2, q. 1, c. | Virt. q. 1, 12, 26^{m} | q. 5, 1, 5^{m} | Isa. 3, fi. * Austeritas 2. Ludus 8. Modestia 7. Temperantia 12. Virtus 225.

Evacuare. Delectatio 44. Lex 128. Limbus 4. Matrimonium 70. Meritum 15. Praeceptum 145. Praedicare 6.

Evadere. Absolvere 26. Adam 60. Adoratio 7. Confessio 92. Culpa 5. Delectatio 46. Daemon 60, 61, 62, 93. Difficile 21. Fortitudo 59. Gratia 181, etc. Haeresis 60, 61. Lamech. Lignum 4. Luxuria 25, 26. Matrimonium 48, 55. Mendacium 14. Perfectio 66, 67. Timor 11. Usura 89. Vitare.

Evagatio. Accidia 8. Attentio 3, 4. Cogitatio 2. Importunitas. Verbositas.

Evanescere. Semen 19.

Evangelista. Joannes o. Lucas. Marcus 1. Matthaeus o. Prophetia 64.

1 EVANGELIUM est bona annuntiatio, scilicet triplicis conjunctionis hominis ad Deum, idest per gratiam unionis, adoptionis et gloriae. Rom. Prolo. fi.

2 Evangelium divulgatum est, et praedicatum in toto orbe, non autem creditum per fidem ab omnibus 1-2, q. 106, 4, 4^{m} | Rom. 10, lect. 3, prin^{o} etc. Col. lect. 2, me^{o}. * Annuntiatio 7. Apostoli 40. Baptismus 39. Campsoria 11, 12. Character 40. Circumcisio 17. Consilium 12, etc.

3 Evangelium ducit hominem ad perfectionem, et legem veterem tripliciter breviat, exponit et implet. Rom. 9, lect. 5, me^{o} etc. Lex 121, etc.

4 In evangelio nihil mandatur de praeceptis ceremonialibus, quia ablata sunt per impletionem rei 1-2, q. 108, 3, 3^{m}. Lex 123. * Decimae 7.

5 In evangelio non continentur nisi quae pertinent ad gratiam Spiritus sancti 1-2, q. 106, 1, 1^{m}. * Frater 3. Joannes 11, 15, 16.

6 Doctrina evangelica est doctrina perfectionis. Ideo instruit de omnibus pertinentibus ad rectitudinem vitae 2-2, q. 56, 1, 2^{m}. * Judicium 84. Juramentum 3, 15. Lex 121, etc. Lucas. Manichaeus 3. Maria 24. Matthaeus 2. Mendacium 18.

7 Evangelium quintupliciter commendatur: scilicet ex antiquitate, firmitate, dignitate ministrorum, ex modo tradendi scilicet in scriptis, et ex materia. Rom. lect. 2, prin^{o}. Praeceptum 120, 122. Praedicare 1, 17. Prophetia 64. Psalmus 3. Salvari 6. Symbolum 9.

8 Dignior est doctrina evangelii ceteris doctrinis. Ideo tantum a diacono cantatur, sed epistola a subdiacono, vetus autem Te-

F

cti: sicut et beneficia toti ecclesiae collata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium collatum alicui sancto quod in festo ejus recolitur. Jo. 10, lect. 6, me°.

9 Festum consecrationis ecclesiae, fit octo diebus, ad significandum resurrectionem Christi et membrorum ecclesiae 3a q. 83, 3, 4m.

10 In festis Christi, ministri ecclesiae induuntur albis, vel sericis, quia solis innovatis convenit canticum novum. Psal. 39, c° 3.

11 Peccans in festo, magis facit mystice contra tertium praeceptum, quam qui ad litteram aliquod opus corporale licitum facit in eo 2-2, q. 122, 4, 3m | 3, d, 37, a. 5, q. 2, 2m | Ma. q. 2, 6, 2m | Quol. 7, 17, c. fi. * Negotiatio 1.

12 Oppositum videtur dicere 4, d. 32, a. 5, q. 2, b. | c.

13 Festa mundanorum sunt in epulis et delitiis corporis, sed festa spiritualium sunt in dilectione spiritus. Jo. 7, lect. 1, fi. Officium 12. Ordo 88, 89, 49, etc. Prolixitas. September. Simonia 23. Tabula 1, 2. Unctio 88.

Foetor. Upupa.

Foetus. Abortus o. Baptismus 4, o. etc. Conceptio 2. Menstruum 2, 3. Occidere 16. Pupa. Usura 170, etc.

Feudum. Juspatronatus, non potest per se vendi, nec dari in feundum, sed cum possessione transit 2-2, q. 100, 4, 3m | 4, d. 25, q. 3, a. 2, q. 3, 3m | L. me°. Decimae 10. Fortitudo 52. Latria 6.

Fiat. Amen 2.

Fictitium. Chimaera o. Ens 6. Non ens 2.

1 FICTIO, est ostendere dicto vel facto, quod non est verum. Et est speciale peccatum, si hoc intendatur 3a q. 69, 9, 3m | 4, d. 4, q. 3, a. 2, q. 2, 1m. Baptismus 28, 95, 104, 210, 211, 213, 214, 215, 217. Circumcisio 44. Confessio 41, 48. Confirmatio 39. Daemon 72, etc. Derisio 3. Dissimulatio. Ens 6. Eucharistia 189, 128.

2 Fictio consequitur superbiam, quia appetens excellentiam, fingit se fortem, et hujusmodi 2-2, q. 162, 7, 5m | Ma. q. 8, 3, 10m. Fucatio.

3 Fictio relata ad rem significatam, ut metaphora, non est mendacium, ut patet in figurativis loquutionibus 2-2, q. 110, 3, 6m | q. 111, 1, 1m | 3a q. 55, 4, 1m | q. 76, 8, c. | 1, d. 16, 3, 3m | 2, d. 8, 3, 1m | 3, d. 38, 3, 4m | 5m | 4, d. 12, L. prin° | Po• q. 6, 7, 9m | Isa. 5, fi. 3, fi. | c° 6, prin° | Jo. fi. | 1• Cor. 11, me°. Humilitas 10. Judaei 25. Operatio 51. Peccatum 369, 422. Professio 9. Unctio 18.

Ficus proficit apostemati, et nocet morbo regio idest leprae, cui nocent omnia dulcia. Isa. 38, fi. * Maledicere 4. Religio 20.

Fidejussor. Debitor. Usura 100.

1 FIDELIS. Fidelium universitas, in tres status solet distingui: scilicet in statum incipientium, proficientium, et perfectorum 2 2, q. 224, 9, o. | Opus. 58, c° 10. * Altare 4. Amicitia 16. Appellare 5. Assentire 7, 8. Baptismus 157. Benefacere 2. Bestialitas 1. Catechismus 7. Character 32, 45. Circumcisio 4. Christus 56, 218. Confessio 58. Diaconus 5. Ecclesia 6. Energumenus 3. Evangelium 9. Eucharistia 21, 22, 23, 28, 159, 229, 246. Excommunicatio 2. Fides 14, 46. Fornicatio 17, 18. Infidelis 1, 5, etc. Jejunium 9. Judaei 45, 46. Juramentum 15, 17. Ostiarius. Matrimonium 122, etc. 184. Miles 6. Mulier 18. Praeceptum 53. Princeps 18. Puer 4. Sacramentum 56. Sanctificatio 4. Scientia 161. Templum 10, 18. Thurificatio 2.

2 Infra terminos fidei unius, et unius moris, habitent fideles Christi. Opus. 72, prin°.

1 FIDELITAS. Fidelitatis tria sunt experimenta: scilicet novitas, prosperitas, et adversitas. Opus. 61, c° 14. Amor 54. Fides 14. Juramentum 25. Miles 6. Obligari 4. Princeps 18. Revelatio 4. Votum 38.

2 Pauci sunt qui fidelitatem divinam perspicaciter recognoscant. Opus. 63, c° 2.

1 FIDES importat assensum intellectus ex electione, ad illud quod creditur, cum certitudine 1-2, q. 56, 3, c. | 2-2, q. 1, 1, 4, c. | q. 4, 1, c. | Rom. lect. 6, prin° | Hebr. 11, prin°. Assentire 2. * Apostasia 2, etc.

2 Sex definitiones fidei exponuntur. Et reducuntur ad eam, quam dat Sanctus Paulus, ut ad perfectissimam 2-2, q. 4, 1, o. | 3, d. 23, q. 2, 1, o. | Verit. q. 14, 2, o. | Hebr. 11, lect. 1, o.

3 Fides est habitus infusus 4, d. 4, q. 2, a. 2, q. 3, 1m. * Assentire 2, 3, 7, 8. Catholica. Credere 6. Donum 35. Fallere 1.

4 Immo nemen fidei importat imperfectionem cognitionis 1• q. 12, 13, 3m | q. 95, 3, c. | 1-2, q. 67, 3, c. | 5, 2m | 2-2, q. 4, 4, 1m | q. 174, 2, 3m prin°. Gratia 143.

5 Immo fides acquiritur per scientiam theologiae 1, prolo. 5, c. | 3, d. 23, q. 3, 2, 1m.

6 Fides formata, est virtus, non autem informis, nec fides de qua loquitur Aristoteles 1-2, q. 62, 3, 2m | q. 65, 4, o. | 5, 2m | 2-2, q. 4, 5, o. | 3, d. 23, q. 2, a. 4, q. 1, o. | q. 3, a. 1, q. 2, o. | d. 34, q. 2, a. 1, q. 3, c. | d. 36, 2, c. | 2m | 4, d. 14, q. 1, a. 2, q. 2, 1m | 4m | Verit. q. 14, 3, 6, o. | Virt. q. 4, 3, 8m | Quol. 6, 6, c. | Rom. lect. 6, me°. Ignorantia 8. Justitia 22.

7 Fides non est proprie virtus intellectualis, sed theologica 3, d. 23, q. 2, a. 3, q. 3, o. | a. 4, q. 1, c. | Verit. q. 14, 3, 9m | Rom. 4, lect. 1, me°. Hebr. 11, prin°. Vel Charitas 7.

8 Fides quae non solum est speculativa, sed etiam practica, inquantum per dilectionem operatur est forma virtutum, ut sunt cognoscibiles: charitas vero, ut sunt operativae 2-2, q. 8, 3, c. | q. 9, 3, o. | Virt. q. 2, 3, 11m. * Charitas 13. Latria 3. Lex 84, 124.

9 Fides non est contra rationem, sed supra rationem, non destruens eam, sed conceptivans eam, et sic faciens eam abnegari 1, prol. 3, 5m | 3, d. 23, q. 2, a. 4, q. 1, 3m | d. 24, a. 3, q. 2, 2m | 4, d. 10, L. fi. | Verit. q. 10, 11, 16m | q. 14, 10, 9m | Opus. 72, prin°. Gal. 3, lect. 3, me°. Matrimonium 49.

10 Fides dicitur gratia praeveniens, non quidem essentialiter, sed causaliter, quia in fide, primo gratia manifestatur 2, d. 26, 4, 4m | Verit. q. 27, 2, 2m.

11 Fides quae est gratia gratis data, est excellentia vel constantia fidei quae est virtus. Sed fides quae est fructus, est delectatio, ratione certitudinis ejus 2-2, q. 4, 5, 4m | q. 8, 8, o. * Perfectio 70, 76, 77. Possessor. Sensus 49. Templum 14. Tenebrae 5.

12 Diversitas opinionum, si qua fuerit extra terminos fidei, teneatur infra terminos ejus. Opus. 72, prin°. * Turtur 5.

13 Fides est substantia, id est fundamentum totius spiritualis aedificii 3a q. 73, 3, 3m | 3, d. 23, q. 2, 1, 1m | Verit. q. 14, 2, c. | 1m Christus 91, etc.

14 Oppositum videtur dicere 2-2, q. 4, 7, n. | q. 161, 5, 2m.

15 Fides dicitur quintupliciter: scilicet opinio vehemens, omnis certitudo per rationem humanam, fidelitas, conscientia, et fides catholica 3, d. 23, L. Catholica.

Fides et opinio duplex, scilicet vera et falsa. Quol. 6, 6, o. * Catholica. Doctrina 17. Haeresis 1, 6, 11, 33, 35.

16 Fides dicitur sextupliciter: scilicet habitus formatus, informis, actus, objectum, sacramentum, et quaelibet certitudo de divinis 1-2, q. 55, 1, 1m | 2-2, q. 8, 8, o. | 3, d. 23, L. | 4, d. 15, q. 2, a. 1, q. 1, 2m | d. 38, q. 2, 1, 1m | Eph. 4, lect. 2, prin°.

17 Fides dicitur dupliciter: scilicet res credita, et habitus. Et hoc dupliciter: scilicet respectu objecti formalis, et respectu subjecti. Primo et secundo modo fides est una, sed tertio modo sunt plures 1-2, q. 107, 1, 1m | 2-2, q. 1, 6, 2m | q. 4, 6, o. | q. 5, 4, c. | 2, d. 38, fi. | 3, d. 23, q. 2, a. 4, q. 2, o. | Verit. q. 14, 3, c. | Eph. 4, lect. 2, prin°.

18 Fides est una dupliciter: scilicet ratione unius objecti, et quia multos unit 2-2, q. 4, 6, o. | q. 5, 4, c. | q. 10, 5, 1m | 3m | q. 23, 5, b. | 3, d.

19 Aliquid cadit sub fide dupliciter: scilicet directe, id est principaliter tradita nobis divinitus, et indirecte, idest ea, ex quibus negatis, sequitur aliquid contrarium fidei 1• q. 32, 4, c. | 2-2, q. 1, 6, 1m | 7, c. | q. 2, 5, c. | q. 8, 2, o. | 3, 6, c. | q. 11, 2, c. | 2, d. 12, 2, c. | Opus. 23 | 4, d. 17, L. me°.

20 Ad fidem requiruntur duo: scilicet, quod credibilia proponantur, et assensus 1• q. 111, 1, 1m | 2-2, q. 6, 1, c.

21 Aliqua pertinent ad fidem dupliciter: scilicet per se, idest ea per quae ducimur ad fruendum beatitudinem et beati erimus, et per accidens 2-2, q. 1, 6, 1m | 7, c. | q. 2, 5, 7, c. | q, 5, 7, c. | 89, 6, c. | 3, d. 24, a. 2, q. 2, c. | a. 3, q. 1, c.

22 Gradus fidei triplex: scilicet transcendere rationem, determinare credenda, et testificari aliis. Primo deservit miraculum, secundo auctoritas Dei, tertio sensus 3, d. 21, q. 2, 3, c.

23 Fides dupliciter nos adjuvat: scilicet ad faciliter credendum, contra duritiem, et discrete, contra errorem 3, d. 28, q. 3, 2, c. | a. 3, q. 2, c. | d. 24, a. 3, q. 2, 3m | d. 25, q. 2, a. 1, q. 2, 2m | q. 4, 3m.

24 Deviare a recta fide, contingit dupliciter: scilicet non credendo Christo, sicut pagani, vel male eligendo credibilia, sicut haeretici 2-2, q. 11, 1, c.

25 Objectum fidei, est non visum 1-2, q. 67, 3, c. | 1m | 2-2, q. 1, 4, o. | 5, c. | 6, c. | 2m | q. 8, 1, c. | 3a q. 7, 3, c. | 3m | 4, c. | 8, 2m 9, 1m | q. 9, 3, 1m | 3, d. 24, a. 2, q. 1, o. | Verit. q. 14, 9, o. | Hebr. 11, lect. 1, prin°. * Abstinentia 6. Adulterium 4. Angelus 523.

26 Nihil est objectum fidei, nisi sub ratione non apparentis 2-2, q. 1, 4, 5, c. | q. 4, 1, c. | 3a q. 7, 3, o. | 3, d. 24, 2, o. | Cg. 1, c° 8 | Verit. q. 14, 3, 6m | 8, 3m | 9, o. | q. 18, 3, c. * Charitas 18. Eucharistia 189, 246. Generatio 53. Haereditas 4. Haeresis 56, 99.

27 Nihil cadit sub fide, nisi a Deo revelatum, et ut habens ordinem ad Deum 1• q. 1, 3, c. | 1m | 2-2, q. 1, 1, c. | 1m | q. 2, 2, c. | q. 17, 2, 2m | Virt. q. 2, 13, 6m. Revelatio 7, 8.

28 Nullus falsum potest subesse fidei 1• q. 1, 8, c. fi. | q. 13, 12, b. | 2 2, q. 1, 3, c. | q. 4, 5, c. | 2m | q. 171, 5, c. | 3a q. 46, 2, 4m | 3, d. 24, a. 1, q. 3, o. | Po• q. 4, 1, c. prin°.

29 Idem est objectum et finis fidei, scilicet Deus, non quidem secundum eamdem rationem: quia ut veritas prima est objectum, sed ut summa bonitas est finis ejus 3a q. 7, 4, c. | 3, d. 23, q. 2, 1, c. | 2m | 4, d. 49, q. 5, a. 3, q. 2, 10m | 1• Cor. 15, lect. 1, prin° | Hebr. 11, lect. 1, prin°. Intellectus 296, 297, 298.

30 Objectum fidei duplex: scilicet quid, et cui. Virt. q. 4, 1, c. * Miraculum 31, 32. Misericordia 30. Natura 27. Oratio 78. Peccatum 31.

FIDES

determinationem ejus, est ex auditu, per cathecismum 4, d. 4, q. 2, a. 2, q. 3, 1m.

80 Fides causatur ex quatuor, scilicet ex auditu interiori, et exteriori visu, voluntate, et intellectu 3, d. 23, q. 3, 2, 2m | Verit. q. 18, 3, c.

81 Fides informis causatur a Deo, cujus est donum, quo ad substantiam, non autem quo ad informitatem ejus 2-2, q. 5, 2, 2m | q. 6, 2, o. | 3, d. 23, c. 3, 2, o. | d. 31, q. 2, a. 2, q. 1, b. 2, | 1m | Verit. q. 14, 7, c. | Rom. 8, lect. 3, me°. * Praedicare 14, 16. Scientia 159.

82 Charitas est forma fidei. Verit. q. 14, 5, o. Charitas 13. Fides 157. * Trinitas 7, 13, etc. Christus 55, 91, etc. 173. Virtus 193.

83 Immo fides formatur a gratia 3, d. 23, q. 3, a. 1, q. 1, 3m.

84 Fides formatur a gratia, mediante charitate 3, d. 23, q. 3, art. 1, q. 1, 3m | Verit. q. 14, 5, c. | 6m.

85 Ad fidem Christi inducunt nos tria: scilicet ratio naturalis, testimonia legis, et prophetiarum, et praedicatio. Jo. 4, lect. 5, me°.

86 Ratio naturalis subservit fidei, sicut naturalis inclinatio voluntatis, subservit charitati 1a q. 1, 8, 2m | q. 2, 2, 1m.

87 Fides gignitur et nutritur per scientiam extrinsece tantum scilicet persuadendo 1a q. 1, 2, b. | 2-2, q. 6, 1, 1m | 3, d. 23, q. 3, 2, 1m | d. 35, L.

88 Fides nostra non habet auctoritatem neque ab angelis, neque ab aliquibus miraculis factis, sed a revelatione Dei Patris per Filium et Spiritum sanctum, licet etiam angeli, ea quae sunt fidei nostrae, revelaverint aliquibus, ut Zachariae, et Mariae, et Joseph, et etiam ad fidei robur, miracula plurima facta sunt. Opus. 1, c° 30.

89 Totum enim certissimum est, quod fides habet. Ex quacumque enim parte ad fidem acceditur, omnis intellectus captivatur in obsequium Christi. Nec mirum, cum etiam veritas creata cogat intellectum sibi assentire. Opus 72, prin°. Certitudo 14.

90 Effectus fidei, respectu voluntatis, est quadruplex: scilicet amor, motus in Deum, adhaesio, et incorporatio 3, d. 23, q. 2, a. 2, q. 2, 5m.

91 Effectus fidei sextuplex: scilicet vitae spiritualis, puritas cordis, justitia, desponsatio, accessus ad Deum, et vita aeterna. Opus. 23, prin°.* Accidens 69. Aristoteles 6. Beatitudo 63. Charitas 47, 52, 58. Circumcisio 1, etc. 41.

92 Fides est necessaria, ut principium spiritualis vitae 2-2, q. 16, 1, 1m. * Cognitio 31, 33, 34, 35. Cornelius o. Damnatio 4.

93 Fides est principium vitae contemplativae et activae, inquantum ostendit finem utriusque 3, d, 23, q. 2, 5, 6m. * Descendere 8. Dispensatio 19. Donum 18, 21. Eucharistia 131, 210, 246. Expectare 4. Fiducia 1. Generatio 53. Haereditas 4. Jephthe. Incarnari 14.

94 Vita spiritualis attribuitur fidei, sicut in qua primo manifestatur 1-2, q. 110, 3, 1m | Verit. q. 14, 5, 12m | q. 28, 1 | Gal. 3, lect. 4, fi. | Hebr. 3, lect. 3, me° | c° 10, 5m lect. fi. * Incorporari 2. Intellectus 298. Justificatio 2, 19, 20, etc. 50. Lex 140. Matrimonium 49, 68, etc. 126, 128, etc.

95 Vita spiritualis attribuitur fidei formatae, quia primo conjungit Deo. Rom. lect. 6, me° | Gal. 3, lect. 4, fi. | Hebr. 10, lect. fi.

96 Fides semper manet, inquantum est fundamentum spiritualis aedificii, idest ratione cognitionis, non autem ratione aenigmatis 1-2, q. 67, 3, 2m | 3, d. 31, q. 2, a. 1, q. 1, 1m | Virt. q. 4, 4, 14m | Rom. lect. 6, prin° * Miraculum 24, etc. 31, 32, 33, 40. Obedientia 21. Oratio 16, 54. Passio 118. Peccatum 273, 424.

97 Puritas cordis, est effectus fidei 2-2, q. 7, 2, o. | 4, d. 14, q. 2, 4, 3m | Verit. q. 28, 1, 6m. * Poenitentia 52, 53, 101, 113, 122.

98 Visio beata succedit fidei 1a q. 12, 7, 1m | 1-2, q. 4, 3, c. | 2-2, q. 4, 2, b. | q. 5, 1, c. | 4, d. 10, a. 4, q. 4, c. | d. 49, q. 4, a. 5, q. 1, o. | Virt. q. 5, 2, 15m | Rom. lect. 6, prin° * Perfectio 76. Praeceptum 29. Ratio 42. Rectitudo 5. Regula 3. Sacramentum 34, 43, 67, 103, 117, 133, 134.

99 Fides potest dici semper manere, ratione visionis Dei, succedentis ei in patria 4, d. 1, q. 2, a. 5, q. 1, 1m. * Sacrificium 5.

100 Primo conjunctio animae ad Deum, est per fidem. Ideo per eam quasi desponsatur Deo, et in sacra Scriptura, per fornicationem, idolatria, et infidelitas significatur 4, d. 39, 6, 2m. * Salvari 5, 6. Sanctificatio 2. Sanctitas 1, 4, 5, 7. Sanitas 8.

101 Fides ut facit aestimationem de praemio, generat spem, de poenis autem, generat timorem 2-2, q. 7, 1, 2m * Sapientia 39, 40, 41.

102 Timor servilis est effectus fidei informis, timor autem filialis est effectus fidei formatae 2-2, q. 7, 1. o. * Spes 52, 57, 76, etc.

103 Omnia sacramenta habent efficaciam ex fide 4, d. 1, q. 2, a. 6, q. 2, 3m | d. 4, q. 3, a. 2, 2m | d. 9, L. prin°. Sacramentum 103, * Sponsalia 8.

Immo efficacia, et virtus sacramentorum est ex Deo, et a simili, innititur charitati 3a q. 49, 1, 4m | 2-2, q. 83, 5, 3. Sacramentum 103. Oratio 54.

104 Per fidem Christi, homo pertinet ad Testamentum novum 1-2, q. 106, 1, 3m | q. 107, 1, 3m. * Subjectio 6, etc. Verbum 74, 76.

105 Nullus unquam habuit gratiam Spiritus sancti, nisi per fidem Christi implicitam vel explicitam propriam vel alienam 1-2, q. 98, 2, 2m | q. 106, 1, 3m | q. 107, 1, 3m | 2-2, q. 2, 7, 3m | 3a q. 61, 3, c. | 2m | q. 68, 1, 1m | q. 73, 5, c. | d. 1, q. 2, a. 6, q. 1, c. | Verit. q. 28, 4, 7m | q. 29, 7, 7m | Rom. lect. 4, prin° | c° 5, lect. 5, fi. | Gal. 2, lect. 4, fi. | lect. 5, prin° | Hebr. 11, lect. 2, fi.

106 Per fidem formatam, mundamur a peccatis, virtute passionis Christi 2-2, q. 7, 2, 2m | 3a q. 49, 1, 5m | 5, 1m | q. 52, 6, c. | q. 68, 4, 3m. * Christus 91, etc. 200. Unio 7, etc.

107 Sancti Patres, dum adhuc hic viverent, liberati sunt per fidem Christi ab omni peccato, et reatu poenae actualium, non autem a reatu peccati originalis 3a q. 52, 5, 2m | 7 1m | 8, 3m.

108 Motus fidei includitur in motu charitatis et aliarum virtutum. Verit. q. 28, c. * Domus 3.

109 Omnis actus fidei, gratiae conjunctus, est actus fidei formatae. Verit. q. 28, 8, c. * Donum 18, 21. Eucharistia 131. Expectatio o.

110 Actus fidei, potest esse meritorius, si sit informatus charitate 2-2, q. 2, 9, o. | 3a q. 7, 3, 2m. * Fides 73. Finis 93, 84.

111 In fide, scientia, et opinione, sunt duo actus, scilicet assensus, et actualis consideratio. Et uterque in fide potest esse meritorius; non autem in scientia et opinione, sed tantum primus 2-2, q. 2, 9, 2m | 10, c. * Haeresis 28, 33, 56, 99. Idolatria 2. Instructio. Latria 8, 8, 9.

112 Meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis quae non videt 3a q. 7, 3, 2m. * Lex 84, 124. Martyrium 1, 6, etc.

113 Fides percipit invisibilia Dei, altiori modo, quo ad multa, quam ratio naturalis, ex creaturis in Deum procedens 2-2, q. 2, 3, 3m.

114 Fides inclinat ad resistendum omni contrario suo 2-2, q. 1, 4, 3m | q. 2, 3, 2m | 3, d. 25, q. 2, a. 1, q. 2, 3m | Verit. q. 14, 4, 3m | 10, 10m | 11, 3m. * Matrimonium 121, 130. Meritum 85. Miraculum 31, etc. Poenitentia 52. Praeceptum 116. Raptus 16.

115 Fides dirigit intentionem respectu ultimi finis supernaturalis, sed lumen naturalis rationis, respectu alicujus boni connaturalis 2-2, q. 10, 4, 2m.

116 Fides dirigit intentionem sed charitas facit intentionem meritoriam 2, d. 41, q. 1, 1, o. | 3, d. 23, q. 2, | 5, b. 2, | d. 25, q. 2, a. 1, q. 1, 2, c. | 4, d. 6, q. 1, a. 3, q. 1, 5m | Verit. q. 22, 13, 11m. * Rectitudo 5. Simonia 32. Spes 56. Usura 86, 96, 97, 207, 213.

117 Fides et charitas, diligunt intentionem universaliter in omnibus 2, d. 41, q. 1, 1, o.

118 Directio fidei est prior directione legis et justitiae 2, d. 41, q. 1, 1, 4m.

119 Actus fidei pertinet realiter ad religionem, sed formaliter a religione distinguitur, utpote aliam rationem objecti considerans. Trin. 10, o.

120 Actus fidei informis, manet adveniente charitate, sicut et habitus ejus 3, d. 23, q. 3, a. 4, q. 2, o. | Verit. q. 14, 7, c.

121 Fides cognoscitur per essentiam suam, inquantum essentia ejus conjungitur intellectui ut forma intelligibilis, non autem alio modo. Verit. q. 8, 3, 7m.

122 Fides non est praedicabilis, secundum Chrysostomum. Opus. 1, c° 19, * Apostoli 15. Arca 2. Articulus o. Auditor 1. Augustinus 1.

123 Immo formalis ratio objecti fidei est veritas prima, per doctrinam ecclesiae manifestata. Virt. q. 2, 13, 6m. Fides 31, 32.

124 Fides non est praedicabilis, secundum Chrysostomum, idest non est per praedicationem perfecte explicabilis. Opus. 1, c° 29.

125 Profecerunt homines in fidei cognitione, per temporum successionem 2-2, q. 1, 7, 2m. * Baptismus 146, 240, 241.

126 Explicatio credendorum, fit per revelationem divinam 2-2, q. 2, 6, | Opus. 1, c° 29 | 30. Revelatio 7, 8. * Beatitudo 93, 125, 148, 159.

127 In his quae ad subtilitatem fidei pertinent, solent haeretici fidem simplicium depravare 2-2, q. 2, 6, 2m. * Caeremonia 2.

128 Ea quae sunt fidei non ignorantur omnino, sed imperfecte cognoscuntur 1a q. 12, 13, 3m | 2-2, q. 1, 4, 2m | 3m | 5, 1m | 1, Prol. 3, 5m | d. 2, L. prin° | 2, d. 24, a. 2, q. 3, o. Certitudo 14, etc. Cognitio 47. * Circumcisio 1, etc. 12, 41. Creatura 8. Credere 29. Cultus 1. Deus 176, 188, etc. Doctor 1. Doctrina 3, 17. Disputatio o. Eucharistia 44, 80.

129 Ea quae sunt fidei, sunt visa in communi esse credibilia, non autem in speciali, sed tantum sunt credita 2-2, q. 1, 4, 2m | 3m | 5, 1m | q. 2, 9, 3m | q. 8, 4, 2m. * Exorcismus 12. Expectare 4. Fiducia 3, 6, 7. Gloria 15. Gratia 123. Idolatria 2.

130 Ad veritatem fidei pertinent credulitas cordis, et exterior fidei protestatio, per verba vel facta, quia omnia opera virtutum, ut relata in Deum, sunt quaedam protestationes fidei 2-2, q. 124, 5, c. Rom. 14, lect. 3, me°. * Infidelis 6, 7, 10. Ingratitudo 11. Instructio.

Immo miracula sunt demonstrationes fidei. Est enim omnis scientia, clara, per demonstrationes 2a Thess. 3, lect. 1, prin°.

131 Omnia quae sunt fidei, sunt eodem modo annuntiata. Ideo aequalis certitudo de eis habetur 3, d. 29, 2, 1m. * Intellectus 43, 296, 297, 298. Investigare 2. Judaei 4, 20. Moriens. Ninivitae. Nobilitas 8. Oculus. Perfectio 76. Pietas 20.

132 Per fidem, intellectus nihil aliud habet, nisi ut paratus sit ad assentiendum his quae Deus credi mandat. Verit. q. 12, 1, 16m.

133 Fides nostra, principaliter consistit in duobus: scilicet in vera cognitione Dei, et in mysterio incarnationis Christi 2-2, q. 174,

FINIS

103 Finis semper excellit rem quae est ad finem 2-2, q. 152, 5, c. * Confirmatio 30, 32. Consensus 7. Consilium 2, 3, 4, 6, 17, 24. Contemplatio 12. Cooperari 1. Cor 7. Corpus 33. Credere 9. Cultus 7, etc. 15, 18. Cura 8.

104 Omne quod ordinatur ad finem, oportet esse proportionatum fini 4, d. 16, q. 3. 1, q. 1, c. * Debitum 2. Deceptio. Delectatio 3, 12.

105 Finis et ea quae sunt ad finem, debent esse conformia, secundum proportionem, non autem secundum genus 1-2, q. 96, 1, c. | q. 102, 1, c. | 4, d. 49, q. 1, a. 1, q. 3, 3m. * Definitio 10, 16, 18, 19. Demonstratio 8. Desiderium 9. Differentia 17. Dispositio 4, 19, 27, etc.

106 Finis quaeritur in infinitum, non autem ea quae sunt ad finem, sed secundum proportionem ad finem 2-2, q. 27, 6, c. | q. 184, 3, c. | 2, d. 24, q. 3, 6, 3m | Quol. 5, 18, c. | Rom. 12, lect. 1, meo | 1a Cor. 11, lect. 5, meo. * Divinatio 5, 9, 13. Donum 31. Electio 7, 9, 10, 14.

107 Finis comparatur ad ea quae sunt ad finem, sicut materia ad formam 1-2, q. 4, 4, c. | q. 5, 7, c. | Ma. q. 2, 2, 5m.

108 Finis comparatur ad ea quae sunt ad finem, sicut ratio formalis ad objectum et sicut principia ad conclusiones 1a q. 47, 1, 3m | q. 82, 1, 2, c. | 1-2, q. 8, 3, c. | q. 12, 4, c. | 2m | q. 19, 7, c. | 1m | 10, c. | q. 102, 1, 2, c. | 2-2, q. 47, 11, c. | 1, d. 45, 2, 1m | 2 d. 10, 4, c. | d. 30, q. 1, 1, c. | Cg. 4, co 76 | Verit. q. 23, 1, 3m | Ma. q. 2, 2, 5m.

109 In finibus est ordo, sicut in agentibus, quia utrobique, secundarium dependet a principali 1a q. 116, o. | Cg. 3, co 109 | Verit. q. 21, 1, 1m. Ma. q. 1, 1, c.

110 Unumquodque ordinatur ad finem per actum suum 1-2, q. 21, 1, 3m. * Eleemosyna 1, 2, 15, 36. Expedire. Fortitudo 59.

111 In omnibus potentiis vel artibus ordinatis ars vel potentia quae est circa finem ordinat aliarum artium vel potentiarum actus, ad proprium finem 1-2, q. 9, 1, c. | q. 65, 3, 1m | 3, d. 27, q. 2, a. 4, q. 3, c. | d. 33, q. 2, a. 1, q. 1, c. | Cg. 2, co 41, 4m | Libo 4, co 75 | Virt. q. 2, 3, c. fi. | Opus. 3, co 102. * Fortuna 1. Frustra. Generatio 25. Gubernare 1. Habitus 16, 28, 29, 32, 37, 50, 59, 66, 67, 81, 82.

112 Finis potentiae inferioris vel habitus, ordinatur ad finem superioris 3, d. 27, q. 2, a. 4, q. 3, c. | Cg. 3, co 17, 6m.

113 Omnis finis et quidquid est ad finem est actio, vel cum actione 1-2, q. 13, 4, c. * Haereditas 3. Homo 12, 18, 19, 21, etc. 27, 34.

114 Actiones ludicrae, non ordinantur ad aliquem finem extrinsecum, sed ad bonum ludentis, inquantum delectant, vel requiem praestant 1-2, q. 1, 6, 1m | Cg. 3, co 2, fi. | 25, 6m | Hebdo. prol. * Honor 14, 16. Idea 2, 26. Imperare 4, 9. Jejunium 22.

115 Finis particularis ordinatur ad finem communem 1-2, q. 19, 10, c. | q. 21, 2, 2m | Cg. 3, co 17, 4m. * Instrumentum 4, 10.

116 Ordinari aliquid ad aliquem finem, contingit dupliciter: scilicet per se et per accidens 1a q. 116, 1, o. | 2, d. 21, q. 1, 3, c.

117 Aliquid ordinatur ad finem dupliciter: scilicet necessario et ad bene esse 3a q. 1, 2, c. | 2, d. 21, q. 1, 3, c. | Verit. q. 22, 1, c. | Quol. 4, 24, 3m | Quol. 5, 19, c. a Intellectus 224, 275, 282, 283. Intentio 10. Judicium 15, 16. Justitia 51, 57. Justificatio 14, 15.

118 Quod est ad finem est duplex: scilicet conjunctum ei, ut dispositio, et distans ut motus. Primum manet cum fine, non autem secundum 1-2, q. 4, 4, 3m | 1, d. 1, q. 4, 2, c. | 2, d. 25, 1, 4m. * Lex 3, 8, 9, 10, 27, etc. 31, 50, 54, 62, 72, 78, 83, 85, 86, 166, 169, 172.

119 Quod est ad finem, inducitur ad finem, triplici operatione: scilicet rationis, voluntatis et potentiae motivae 1, d. 1, q. 1, 2, c. * Liberum 7. Magnanimitas 1, 2, 8. Malitia 8. Martyrium 1. Mendacium 5. Meritum 15. Metaphysica 15, 29, etc. Militaris.

120 Ad unum finem ordinatur tantum unum medium, si sit sufficiens 1a q. 47, 1, 3m | q. 101, 3, 1m | 1-2, q. 101, 3, 1m. * Miraculum 14. Moralis 1, 2, 4. Natura 2. Necessitas 1, 2, 8, 22, 23. Negotiatio o. Otium. Officium 19. Oratio 56, 60. Ordinatio 3. Ordo 14, 24. Pars 20. Patientia 4. Peccatum 37, 52, 61, etc. 151, etc. 209, etc. 238, 363, 395. Perfectio 3, 41, etc. Philosophia o. Poenitentia 26.

121 Ea quae sunt ad finem, inquantum hujusmodi, non sunt volita nisi propter finem 1-2, q. 8, 2, c. | 2m | 3, c.

122 Quandocumque una potentia est circa aliquem finem, ad illam ordinantur sicut ad finem omnia quae sunt ejusdem finis 1a Tim. lect. 2, meo.

123 Aliquid est ordinatum ad finem dupliciter: scilicet sicut tendens in finem, ut utens et fruens; vel sicut via, sicut est utibile 1, d. 1, L. meo.

124 Finis operantis semper est in eo, sed finis operis potest esse in alio 2, d. 1, q. 2, 1, c. * Physica 5, etc. Potentia 14, etc. 34, 41, etc. 57, etc.

125 Finis operis reducitur semper in finem operantis 2, d. 1, q. 2, 1, c. * Potestas 12, 13. Praeceptum 2, 4, 6, 22, 25, 33, 38, 67, 71, 83, 141, 146, 149, 151, etc. Praedestinatio 2, 20. Principium 26, 27. Prophetia 43. Propositum 1. Providentia 2, 3, 16, 17, 20, 47, 48. Prudentia 1, 10, 28, 31, 33, 45, 46, 52, 62, 66, 68, 72. Qualitas 6, 7. Quies 2. Raptus 9, 10, 13. Ratio 36, 56, 57. Rectitudo o. Religio 18, 28. Scientia 18, 125, 126, 127, 131, 132, 141, 150, 154. Scrutatio. Teneri 1. Testamentum 1, 5. Theologia 32. Trahere 1. Usus 2, 4, 5, 6. Uti 2, 4, 6, 10, 12, etc. Utile o. Vanum. Verbum 25. Virtus 9, 41, etc. 110, 188, 191, 216, 233, 263, 266. Vita 52. Voluntarium 1, 2, 15. Voluntas 7.

126 Oportet quod quaelibet voluntas habeat aliquem finem, quem naturaliter velit, cujus contrarium non possit velle 1a q. 82. 1, 2, o. | Cg. 3, co 109 | Poa q. 1, 5, c. fi. * Amor 116.

127 Finis moralis accidit fini naturae et e converso 1-2, q. 1, 3, 3m. * Concupiscentia 7, 16. Creatura 8, 18, 24, etc.

128 Qualis est quilibet naturali qualitate animae vel corporis, vel qualitate superveniente, talis finis videtur 1a q. 83, 1, 5m | 1-2, q. 9, 2, c. | 2m | q. 10, 3, c. | 2m | 2, d. 25, 1, 5m | Virt. q. 1, 9, 21m. * Aestimatio 2. Deus 270, 290, 292. Eucharistia 155. Fortuna 1. Gloria 2, 5, 9. Homo 12, 13, 18, 22, 23, 27. Honor 14, 16.

129 Voluntas respicit finem tripliciter: primo absolute, secundo ut in quo quiescit, tertio ut terminum eorum quae ordinantur in finem. Primum est velle, secundum frui, tertium est intentio 1-2, q. 8, prino | q. 12, 1, 4m | 2, c. | 3m | 5, 2m | Verit. q. 22, 15, c. fi.

130 Actus voluntatis potest ferri in finem dupliciter: scilicet immediate et mediate. Primus dicitur voluntas, secundus vero intentio. Et uterque est semper malus, si finis est malus, et est bonus, si finis actus est bonus. Et secundus est bonus si finis agentis est bonus, non autem primus 2, d. 38, 3, c. | 5, o. | d. 40, 2, o. Intentio. * Hypocrisis 5, 6. Imperare 9. Intellectus 198, 214, 222, 282, etc. 13, etc. Jactantia 2, 5. Jejunium 22, 29. Juramentum 5. Libertas 6, 8. Locus 7.

131 Voluntas ex necessitate inhaeret fini 1a q. 82, 1, 2, c.

132 Ad rectam voluntatem requiruntur duo: scilicet debitus finis, et quod ea quae sunt ad finem proportionentur ei 2-2, q. 49, 7, c. | q. 51, 1, 1, 1m | q. 55, 3, 4, c. | q. 64, 7, c. | q. 69, 2, c. | 2, d. 40, 2, c. | 4, d. 49, q. 1, a. 9, q. 4, 5m. * Malitia 7, 8. Malum 51, 55. Miraculum 44. Moralis 1. Motus 78. Peccatum 1, 37. Physica 5. Poenitentia 41. Praeceptum 146, 149. Praedestinatio 20, 24, 37. Praestituere. Propositum 1. Providentia 2, 3. Ratio 36, 56, 57. Scandalum 8. Scriptura 10. Subsannatio.

133 Homini convenit agere propter finem, quia omnes actiones humanae sunt propter finem 1-2, q. 1, 1, o.

134 Actiones hominis, aliis intenti, non sunt proprie actiones humanae, quia non procedunt ex deliberatione rationis quae est principium humanorum actuum. Et ideo habent quasi finem imaginatum, non autem per rationem praestitutum 1-2, q. 1, 1, c. | 3m. Actio 43.

135 Homo operatione naturali et animali, ordinatur in finem ab alio, sed operatione humana, ordinatur a seipso in finem 1-2, q. 1, 1, c.

136 Finem convenientem dicimus, utile vel necessarium vitae humanae. Opus. 73, co 3.

137 Aliquid ordinatur in finem dupliciter: scilicet vel proprie, tamquam seipsum movens ad finem, et sic sola creatura rationalis ordinatur in finem; vel communiter, tamquam motum ab alio, et sic bruta animalia ordinantur in finem 1-2, q. 1, 2, c.

138 Finis hominis est adhaerere Deo per intellectum, sed magis per voluntatem et principalius per amorem quam per timorem. Cg. 3. co 115 | 116, fi. | 128, 2m | 130, 1m | 4m fi. * Usura 90, 147, 148. Usus 6. Voluntas 31, etc. 66, 72.

139 Omnis peccans mortaliter, constituit sibi necessario alium finem quam Deum 1-2, q. 1, 7, 1m | q. 89, 1, 3m | 2-2, q. 45, 1, 1m | 1, d. 1, q. 4, 1, 4m | 2, d. 24, q. 3, 6, c. | d. 34, 3, c. | d. 42, q. 1, 3, 5m | 5, c. | 3, d. 31, q. 1, 1, 1, c. | 4, d. 16, q. 2, a. 2, q. 1, c. | d. 46, q. 1, 3, c. | Verit. q. 28, 2, c. | Ma. q. 3, 1, 20m | Virt. q. 2, 6, c. | 7m | Rom. 2, lect. 2, prino.

1 FINITUM additum infinito, non facit majus, sed plus 4, d. 49, q. 1, a. 4, q. 1, 4m. * Actus 22, 28, 84. Agens 80.

2 Cuilibet finito, potest fieri additio secundum mathematicum, non autem secundum physicum 3, d. 13, q. 1, art. 2, q. 3, 1m.

3 Ens creatum est compositum ex finito et infinito, idest ex actu et potentia; vel quia ens aliud est finitum, idest incorruptibile, aliud infinitum, idest corruptibile. Ideo non sunt partes entis integrales, sed subjectivae 2, d. 3, q. 1, 1, 5m. * Angelus 9, 10, 161, 212. Aversio 19. Beatitudo 93, 119. Caelum 73, 76. Christus 65, 70. Concupiscentia 7. Consilium 4. Damnatio 44. Deus 86. Distantia 3, 4, 5. Distinctio 4. Divitiae 2. Esse 46, 94. Finiri. Forma 80, 87. Haeresis 47, 48. Locus 18. Mundus 18. Offensa. Operatio 17. Passio 92. Peccatum 215. Poenitentia 100. Proportio 1, 2, 3, 4. Psalmus 7. Punctus 1. Quantitas 20. Tempus 26, 38. Usura 48.

Firmamentum a Deo creatum, idest caelum stellatum est suprema sphaera secundum Aristotelem, non autem secundum astrologos modernos 1a q. 68, 1, 2, 3. o. | q. 71, 3m | 2, d. 14, L. meo | Quol. 4, 3, c. | Cae. 2, lect. 9, prino. * Apostoli 38. Caelum 17, 18, 56, 60, etc. Tempus 11.

Firmare. Argumentum 5, 7. Fides 146. Fortitudo 32, 58. Fundamentum 3. Humilitas 25, 30. Imperfectio 2. In 27. Missio 40. Perjurium 1. Perseverantia 1, 5. Praescriptio. Purgatio 3. Temperantia 14. Usura 275. Virginitas 3, 5, 6. Virtus 235. Votum 9.

Firmitas est virtus faciens permanentiam in opere, sed constan-

FORMA

FORMA

FORTITUDO

Fortificatio. Amor 236. Angelus 432. Damnatio 50. Lignum 2. Operatio 35. Peccatum 147. Unctio 15.

87 Jus positivum tamen permittit usuras, non quidem ut justas, sed ne communitas patiatur multas incommoditates. Per usuram enim retinentur multae haereditates et vitantur damna quam plurima, propter quod etiam legis humanae eam permittunt et non puniunt, sicut puniunt et prohibent furta et rapinam. Justinianus tamen imperator sanctas sanctiones sive leges, subjecit ecclesiasticis institutis, sed praecipue in usuris et matrimonio, in quibus tota vita civilis versatur 1-2, q. 96, 6, c. | 2-2, q. 78, 1, 3m | Ma. q. 13, 4, 6m | Opus. 20, lib° 3, c° 18, prin° | Opus. 73, c° 4, fi.

88 Quaedam verba juris etiam inveniuntur, quibus ratio dubii et pericula eventuum videntur omnino excusare usurae vitium in quibusdam permutationibus et contractibus. Opus. 73, c° 6, prin°.

99 Quod autem sit destitutio rei in usura contra justitiam humanam, licet videatur praecipue facta voluntarie, et etiam quia leges humanae non puniant, quae tamen injurias punire debent, advertendum est, quod voluntas hominis aliquando respicit volitum propter se et aliquando propter aliud. Quando autem propter se, tunc si illud volitum sit simpliciter justum et bonum, tunc voluntas est bona, et opus ex ea procedens est bonum et justum. Si autem sit injustum et malum, tunc similiter voluntas est mala: si vero respiciat volitum non propter se, sed propter aliud, sicut cum aliquis vult projicere merces in mare, ut sic evadat periculum, tunc est distinguendum 1-2, q. 6, 6, c. | Opus. 73, c° 15.

90 Illud enim iterum propter quod volitum dicitur aliquid, aut habet rationem justi, aut injusti, aut indifferenter: et hoc primo modo judicatur, adhuc voluntas justa et bona comparative, sed tamen potest esse injusta simpliciter, ut si aliquis vult furari ut pauperibus tribuat. Sed secundo modo potest judicari justa et libera absolute, quando illud volitum est ex natura sua justum et bonum, sed comparative est voluntas injusta et non libera, quando illud volitum habet malum finem. Unde cum aliquis vult dare superabundantiam de suo, de se non est malum nec injustum: unde secundum hoc voluntas est absoluta et libera. Sed quando hoc vult dare propter rationem mutui, quod non aliter potest habere, jam hujusmodi voluntas comparata ad finem qui de se est injustus, contrahit rationem injustitiae et cadit a ratione liberalitatis. Et quia hujusmodi injustitia, patiendo magis quam agendo incurritur, ideo in ipso dante est poena et non culpa. Opus. 73, c° 4 | 7 | 15.

91 Quia in mutuis vitium usurae annexum est, ex eo quod fiant spe lucri, quod est contra naturam mutui, ideo quia dubium et periculum de sua natura non tollunt hanc vitiositatem a mutuo quando fit spe lucri, nec dubium nec periculum excusare possunt vitium usurae secundum decretalem. Opus. 73, c° 6, prin°.

92 Circa illos vero contractus, vel permutationes rerum, in quibus aliquid plus accipitur quam datur, si causa temporis permutatio haec fiat, jam speciem usurae vitiose committit, eo quod hujusmodi superabundantia, nec ex labore, nec ex usu rei propriae, nec per recompensationem alterius substantiae, valet reduci ad aequalitatem justitiae. Si vero non causa temporis haec

in mutuis, quave luce divinae veritatis, in Scriptura sacra manifeste condemnata eradicatur, sed etiam in aliis contractibus diffudit, in quibus sub specie aequitatis et justitiae humanae, quasi abscondita foeneratur, idcirco in hac parte quaerentes detegere hanc malitiam, de his contractibus in quibus latet dicemus. Opus. 73, c° 8, prin°.

127 In eodem contractu secundum speciem, potest incidere vitium usurae, ex intentione corrupta et vitium avaritiae sine vitio usurae, ex turpitudine lucri, et alias etiam potest fieri sine omni vitio, quando fit propter necessitatem vitae. Opus, 73, c° 8.

128 Supposito quod in venditione ad terminum, consuetudo de dilatione solutionis usque ad spatium trium mensium vel hujusmodi, sit ad commune bonum mercatorum, scilicet pro expediendis mercantiis sive mercationibus suis, et non in fraudem usurariam introducta, videtur esse distinguendum. Opus. 67, 1m.

129 Aut enim vendit venditor, mercationes ad terminum praedictum, ultra quantitatem justi pretii, propter expectationem, aut secundum justi pretii quantitatem. Opus. 67, 1m.

130 Si primo modo, non est dubium usurarium esse contractum cum ibi expectatio temporis sub pretio cadat. Opus. 67, 1m | Opus. 73, c° 10, prin°.

131 Nec potest esse excusatio, si secundus venditor sit primi minister, cum ad nullam causam liceat pro tempore expectationis pecuniae pretium augeri. Opus. 67, 1m.

132 Si autem vendat secundo modo, scilicet secundum justi pretii quantitatem, non est usura. Opus. 67, 1m.

133 Est generaliter tenendum, quod in omnibus contractibus, in quibus accipitur plus a vendente vel emente quam dederit, et non fuerit ratio hujusmodi augmenti in usu rei, sive in natura ipsius rei, nec producta fuerit ex temporis aliqua conditione existente in ipsis rebus, sed accidit incrementum ex dilatione temporis concessa a vendente vel emente, ut per hoc plus accipiat, tunc talis superabundantia accepta super datum, usura dicitur, et usurae tenet vitium, quia sine juxta ratione generatur in talibus contractibus et mutuis. Et hoc vocatur apud jurisperitos, et etiam vulgariter vendere, vel emere ad credentiam. Opus. 21, o. | Opus. 67, o. | Opus. 73, c° 8. * Credentia. Vendere 7.

134 Credentia pretii persolvendi in tempore futuro, post aliquem contractum, potest incidere in contractibus sine vitio usurae, tribus de causis, scilicet vel per gratiam et liberalitatem venditoris, idest quando res venditur secundum aestimationem juxtam pro tempore venditionis et commutationis ipsius rei et ipse venditor expectat solutionem in prolixo tempore liberaliter et per gratiam quam habet ad emptorem. Opus. 73, c° 10.

135 Vel secundum meritum et justitiam ipsius contractus et per gratiam venditoris, ut si qua res vendatur in aliquo tempore in quo habet tantam necessitatem et utilitatem humanae vitae, sicut in futuro aliquo tempore habitura est secundum naturam temporis, et venditor rem suam intendat vendere pro illo tempore in quo habet majorem necessitatem et utilitatem, et in quo plus valitura sit, quam valeat in tempore quo venditur saltem expectet tempus illud, pro quo facit majorem aestimationem pretii. Opus. 73, c° 10.

136 Vel potest incidere credentia per accidens, scilicet ex malitia vel paupertate emptoris. Et hoc modo vendere carius rem suam, quam valeat tempore venditionis vel etiam quam valitura sit probabiliter in futuro tempore, quo solutio determinatur potest excusari a vitio usurae, per intentionem venditoris, licet ipse contractus de se sit vitiosus. Opus. 73, c° 10.

137 Non obstat si venditor pro minori peccato pretio daret, si statim sibi pecunia solveretur. Quod etiam per simile potest in aliis debitis videri. Opus. 67, 1m.

138 Si enim alicui debeatur aliquid ad certum terminum, quandocumque de eo quod est sibi debitum dimitteret, si sibi citius solvatur, talis immunis esset a peccato usurae. Opus. 67, 1m.

139 Licet enim plus debito accipere, propter temporis dilationem, usuram sapiat, minus tamen accipere, ut sibi citius solvatur usuram non sapit, maxime ex parte ejus qui minus recipit, quamvis ex parte ejus qui minus dat, ubi citius solvat, videatur esse aliquis modus usurae, cum spatium temporis vendat. Opus. 67, 1m.

140 Unde etiam in casu proposito, plus esset de usura timendum emptori, qui ut ante tres menses minus solvat, justa aestimatione pannos emit, quam venditori qui minus accipit, ut citius sibi solvatur. Opus. 67, 1m.

141 Per anticipationem ergo temporis, aliquando generari potest vitium usurae, sicut per dilationem vel prolongationem 2-2, q. 68, 2, 7m | Opus. 67, 1m | Opus. 73, c° 8.

142 Ille qui ad certum terminum debet, si ante terminum solvit ut ei aliquid de debito dimittatur, usuram committere videtur, quia manifeste tempus solutionis pecuniae vendit. Unde ad restitutionem tenetur. Opus. 67, 4m.

143 Nec excusatur per hoc quod solvendo ante terminum gravius, vel quod ab alio inducitur, quia eadem ratione possent omnes usurarii excusari. Opus. 67, 4m.

144 Contractus usurae, non habet rationem venditionis et emptionis, nec rationem permutationis, sicut apparet ex forma verborum, et ex translatione pecuniae, vel rei datae mutuo, propter quod si ultra exigitur quam datur, injusta est commensuratio. Opus. 73, c° 4.

145 Quando secundum aequitatem juris fit recompensatio rei, sicut in venditionibus et emptionibus rerum, vel recompensatio laboris sicut quando laborantibus redditur merces laboris, constat quod in hac via, non potest inveniri usura, ratione juxtae possessionis et acquisitionis. Opus. 73, c° 4.

146 Si quis rem aliquam emat pro pretio minori quam valeat tempore emptionis, vel pro pretio aequali, rem tamen percepturus in tempore quo sperat eam plus valituram, vel etiam si quis vendat rem pro pretio majori quam valeat tempore venditionis, sperans tamen quod tantum valitura erit tempore solutionis, si verisimiliter dubitatur, utrum plus vel minus possit valere pro tempore illo, pro quo venditur vel emitur res, in talibus ratio dubii excusare potest a vitio usurae et facere aequitatem justitiae, licet plus accipiatur quam detur, eo quod ratio hujus dubii, ponit extimationem valoris in rebus, ex ipsa natura rerum, quae in tali tempore plus vel minus possunt valere. Opus. 73, c° 6.

147 Non causa temporis tantum ibidem plus expectatur, sed propter ipsam naturam rei, quae plus valet aliquando in uno tempore quam in alio, et aliquando minus. Et hoc modo ratio dubii et periculi etiam localis possunt excusare contractus aliquos, qui alias judicarentur usurarii secundum decretalem 2-2, q. 62, 4, 2m fi. | Opus. 73, c° 6.

148 Si aliquis post augustum, multum de blado vel de vino habeat venalia, et pro illo tempore mensura bladi tres solidos tantum valebat, et modius vini tantum decem: et vendat bladum pro quatuor solidis et vinum pro duodecim, recepturus tamen pecunias in festo Joannis, quia nec volebat dare pro minori pretio, etiam si statim reciperet, eo quod rem suam aestimabat tantum valituram probabiliter in praedicto tempore solutionis, dico quod non committit usuram, quia illud non accipit causa temporis, sed pro natura rei, quam natura rei, quam probabiliter et verisimiliter dubitare potest tantum valituram, in tempore pro quo vendidit, etiam si non valuit tantum, in tempore pro quo vendidit. Opus. 73, c° 6.

149 Et haec ratio potest applicari ad aliquos alios contractus, etiam quando res minus emitur, quam valeat tempore emptionis, recipienda tamen in alio tempore in quo verisimiliter potest dubitari, utrum plus vel minus sit valitura, quam empta sit, quia sic ibi non committitur usura. Opus. 73, c° 6.

150 Quod autem causa temporis accidit in contractibus, sicut in mutuis quando aliquid sorti accidit sine justo titulo, quia ipse facit suum per fraudem, scilicet vendendo tempus quod Dei est, et datum communiter omnibus, et non potest habere titulum successionis naturalis, seu gratuita donationis, seu justi lucri, per meritum proprii laboris, vel per recompensationem rei propriae vel usus propriae rei, est usura. Opus. 73, c° 8.

151 Omnis contractus in quo aliquid plus accipitur quam datur, sive in spe, sive in re, et hoc tantum propter causam temporis, vocatur contractus usurarius. Opus. 73, c° 8.

152 Si autem accipiatur plus quam detur, simpliciter propter extimationem vendentis vel ementis ampliorem in uno tempore quam in alio, propter aliquam trium causarum praedictarum, vel etiam propter dilationem rei in uno tempore quam in alio, tunc potest fieri sine vitio usurae, quia superabundantia hujusmodi recompensatur ex ampliori valore rei in se pro tempore, pro quo accipitur hujusmodi superabundantia, et non accipitur pro temporis dilatione. Opus. 73, c° 8.

153 Licet hi contractus excusari possint a vitio usurae, secundum rationem dictam, non tamen excusantur omnino a vitio cupiditatis, quae hic dicitur turpelucrum, quia ratione temporis accidit sicut et usura, licet differenter. Opus. 73, c° 8.

154 Si autem hujusmodi contractus ordinentur ad usum vitae humanae, excusantur ab omni turpitudine, et ostenditur quod in hujusmodi non sit usura, quia usura non excusatur quantumcumque ordinetur ad vitae necessitatem. Opus. 73, c° 8.

155 Ea quae usurarii per usuras ab aliis extorserunt, non possunt per dominos temporales licite retineri, nisi forsitan essent talia, quae ab ipsis dominis temporalibus, hactenus extorsissent, unde si inveniuntur certae personae, a quibus extorserunt usuras, debent ei restitui. Opus. 21, c° 1.

156 Licet accipere mutuo sub usuris ad bonum sui vel alterius, non autem licet inducere, ad faciendum usuras 2-2, q. 78, 4, o. 3, d. 37, 6, 6m | Ma. q. 13, 4, 17m | 18m | 19m | Opus. 21, q. 5, fi. Uti 16, etc.

157 Vendere autem carius justo, propter dilationem solutionis, vel emere vilius propter anticipationem est usura, non autem e converso 2-2, q. 77, 1, 1m fi. | q. 78, 2, 7m.

USURA

158 Si enim mercatores Tusciae, portantes pannos de nundinis Licinati, ut usque ad tempus resurrectionis expectent pretium, plus vendant pannos quam debeant secundum communem forum, non est dubium esse usuram. Opus. 67, 2m.

159 Si autem vendant secundum communem forum et non plus quam valent, plus tamen quam acciperent, si eis statim solveretur non est usura. Opus. 67, 2m.

160 Si illi qui pecuniam mutuo accipiunt sub usuris, illam usuram recuperare volunt, plus vendendo pannos quam valent, propter expectationem usque ad certum tempus, non est dubium esse usuram, cum tempus manifeste vendatur. Opus. 67, 3m.

161 Nec excusantur propter hoc quod volunt se conservare indemnes, quia nullus debet servare indemnitatem, mortaliter peccando. Opus. 67, 3m | Opus. 73, c° 7.

162 Et licet alias expensas licite factas, puta, in portatione pannorum, possint licite recuperare de eorum venditione, non tamen possunt recuperare usuras quas aliis dederant, cum haec fuerit injusta datio, et praesertim etiam cum dando usuras peccaverint si induxerunt, tamquam occasionem peccandi usurariis praebentes, cum etiam necessitas quae ponitur ab eis, ut scilicet mercatores honorabilius vivant et majores mercationes faciant, non sit talis necessitas, quae sufficiat ad excusandum peccatum praedictum 2-2, q. 78, 4, o. | 3, d. 37, 6, 6m | Ma. q. 13, 4, 17m | 19m | Opus. 21, q. 5, fi. | Opus. 67, 3m.

163 Patet enim a simili, quia non posset quis in venditione pannorum recuperare expensas, quas incaute et imprudenter fecisset. Ma q. 13, 4, 14m fi. | Opus. 67, 3m fi.

164 Si quis vero bladum vel vinum vendiderit vel emerit, in aliquo tempore vel loco, ut plus accipiat in alio quam dederit, tantum ratione temporis vel loci, licet etiam res pro tempore illo tantum valeant, jam propter intentionem usurariam, fit vitium usurae, quod tamen bene poterat fieri, si tantum rei naturam attenderetur et non temporis vel loci causa, quae modo sunt aliquid de re, nec vilitatem nec raritatem faciunt in rebus per se. Opus. 73, c° 8.

165 Aliquis debet alteri centum solidos, persolvendos post aliquos annos, vel annuatim, ad duos vel tres terminos, et vult remittere debitori tertiam, vel quartam, vel quintam partem, si solvat ei in principio anni, sive ante terminos positos quando petierit. Constat autem quod in hoc casu, plus accipitur quam datur ratione temporis. Ideo si fiat causa lucri, potest ibi esse vitium usurae, quoniam hujusmodi lucrum quaeritur tantum ex tempore, et periculum, tollitur, vel verisimiliter non potest dubitari de periculo, utrum magis minusve res possint valere. Opus. 67, o. | Opus. 73, c° 8.

166 Debitor juste debebat centum solidos, et propter anticipationem temporis, tantum solvit octuaginta. Accipit ergo ultra id quod dat, scilicet ultra octuaginta, viginti, quia creditoris erant illi viginti solidi et sunt facti debitoris ratione temporis anticipati. Ratione ergo regulae datae de causa vitii in usura, quae est, quando plus accipitur quam datur, causa temporis, potest esse hujusmodi contractus usurarius, si fiat tantum causa lucri, ut praedictum est. Opus. 73, c° 8.

167 Sed hic potest cadere excusatio usurae dupliciter: scilicet quando gratis et liberaliter creditor hujusmodi superabundantiam tribuit debitori, et debitor non causa temporis accipit, vel quando creditor per damnum propriae rei, recompensat hujusmodi superabundantiam, ut quando non potest habere pecuniam sine alicujus rei propriae alienatione et damno ex qua solvat creditori quod petit ante terminum solutionis. Alias est casus usurarius 2-2, q. 78, 3, c. | Opus. 67, 1m | 2m | Opus. 73, c° 8.

168 Si locans accipit aliquid ultra rem locatam, hoc habet rationem aequitatis, quia illud plus recompensatur per usum rei locatae, qui est proprietas locantis et pertinet ad ejus sortem, idest ad rem locatam, cujus proprietas simpliciter manet apud locantem, et ideo periculum etiam ipsius rei remanet apud locantem, et sic ibi non est usura, sed aliquando in venditione. Opus. 73, c° 8.

169 Sed quando quis vendit rem aliquam, non quidem usum tantum ipsius, sed et proprietatem ejus, constat quod transfertur de jure periculum rei in emente. Et quando sic vendens res hujusmodi tenet periculum penes se, jam sic non transfertur dominium, et ideo non est permutatio venditionis justae. Sed constat quod emens eam, transtulit dominium pecuniae quam dedit. Quare magis habet rationem mutui. Et si plus sperat propter tempus futurum determinatum, quam sit datum, sequitur quod sit vitium usurae. Opus. 73, c° 8.

170 Specialis difficultas videtur in contractibus illis, in quibus res emuntur vel venduntur, quae ex temporis processu recipiunt incrementum valoris vel utilitatis, sicut sunt sata, foetus animalium, fructus arborum et spolia sylvarum, an ibi sit vitium usurae. Opus. 73, c° 8.

171 Quia igitur hujusmodi res venduntur et emuntur ut frequenter ante tempus suae utilitatis vel usus, et minus emuntur quam sint valiturae in tempore suae receptionis et usus, quaestio est non immerito, utrum plus recipere pro eis, vel sperare, pro tempore suae receptionis, faciat usurarium contractum. Opus. 63, c° 9.

172 Sine praejudicio, aliter mihi videtur esse distinguendum in praedictis contractibus, et praecipue quia videmus, non de facili imminere periculum rei in venditione spoliorum sive nemorum, sicut in aliis. Opus. 73, c° 8.

173 Possunt ergo hujusmodi res emi, tamquam necessariae ad usum vitae ementium, vel causa lucri tantum. Si primo modo, nullum est, ibi vitium usurae, quamvis plus valiturae sint probabiliter tempore suae receptionis, dum tamen aestimatio justa sit facta tempore contractus, quae est secundum legem naturae, et est secundum consuetudinem humanam, in hoc quod tantum potest aestimari res necessaria vitae humanae, quantum necessarius est usus ejus, et hoc vel simpliciter, vel pro tempore aliquo determinato. Opus. 73, c° 8.

174 Et quia simpliciter apud sapientes plus aestimatur res perfecta quam imperfecta, et pro determinato, aestimatur res quantum vendi potest inter homines, et ideo licet tales res minus vendantur imperfectae, quam sunt valiturae perfectae, non videtur mihi quod aliquis praeter sortem amplius accipiat, quia sors vendita est ipsius ementis, cum incremento suae valitudinis atque utilitatis. Opus. 73, c° 8.

175 Si autem secundo modo, idest causa lucri tantum, fiant hujusmodi contractus, potest adhuc in eis tantum turpelucrum judicari causa cupiditatis, quae oritur ex conditione temporis. Et potest iterum in eis incidere vitium usurae, et hoc quando hujusmodi lucrum quaeritur tantum ex tempore et periculum tollitur, vel verisimiliter dubitari non potest de periculo, utrum magis minusve ratione temporis res possint valere, quia in usura accipitur pro re juxte possessa, vel debita alicui personae. Illud autem dicitur sorti accidere: quod non pertinet ad proprietatem sortis. Opus. 73, c° 8.

176 Emere autem aliqua bona, ut redditus vel possessiones ad vitam, quae est tempus indeterminatum, vel emere aliqua praedictorum ad tempus determinatum, scilicet ad decem annos, vel ad viginti, quae duo frequenter fiunt inter homines nostri temporis, in hac consideratione non tantum in emptione ad vitam alicujus, potest aliquando incidere vitium usurae, sed etiam in emptione ad omne tempus. Opus. 73, c° 9.

177 Dare certam pecuniam sive summam pecuniae alicui ecclesiae, pro aliqualibus possessionibus ejus tenendis ad vitam dantis pecuniam, et post mortem tenentis, reddituris ad ipsam ecclesiam, secundum Goffredum est usurarius contractus. Sed hoc exemplum ejus, tunc veritatem habere dicitur quando ecclesia, necessitate impulsa, cogitur impignorare possessiones suas, quas non potest nec vult simpliciter alienare. Tunc enim non est venditio proprie, sed impignoratio, quia qui non potest rem vel possessionem aliquam vendere simpliciter, non potest vendere eo jure ad tempus. Opus. 73, c° 9.

178 Constat quod licet quaedam ecclesiae multa possideant, tamen alienare jus possidendi non possunt, sine auctoritate et consensu superioris praelati, nec simpliciter, nec ad tempus. Et ideo hujusmodi venditiones ecclesiarum, sunt impignorationes, propter quod secundum hanc viam, usurarius est hujusmodi contractus, quia fructus pignorum non licet recipere ultra sortem, eo quod non sunt de natura sortis. Opus. 73, c° 9.

179 Si dans pecuniam, in hujusmodi contractu habet spem vivendi ultra id tempus, quo receperit de proventibus totam sortem quam dederat, et ultra, hujusmodi spes vel receptio amplior, non facit vitium usurae, nisi quando illud quod speratur vel recipitur amplius, sorti accidit et non est de natura sortis. Aliter omnis emens agros vel animalia, ut plus recipiat in proventibus processu temporis, vel in ipsis rebus venditis in alio tempore, esset usurarius, quod est absurdum dicere, quia sic omnis mercator esset usurarius 2-2, q. 58, 1, o. | 2, 7m | Opus. 67, o. | Opus. 73, c° 9.

180 In venditionibus justis, quando aliquis dominus transfert dominium suae rei cum usu ejus et fructu simpliciter, sive ad tempus, constat quod omnis proventus rei venditae est de natura sortis, et non accidens sorti. Quare talis spes vel amplior acceptio, non facit contractum usurarium. Opus. 73, c° 9.

181 Contractus emptionis alicujus possessionis ad vitam alicujus, et contractus in quo aliquis dat centum libras ut annuatim recipiat decem quam diu vixerit, et speret se victurum ad undecim annos et ultra vel ut in decimo anno recipiat simul centum et decem libras, addita etiam conditione, quod si ante moriatur, quod nihil accipiat de tota summa, non sunt ejusdem rationis, et tantum in secunda est vitium usurae. Opus. 43, c° 9.

182 In eo qui sperat centum et decem libras se accepturum in undecimo anno, jam gratia temporis determinati tantum, fit recompensatio inaequalitatis, et sic facit usurarium contractum. Sed in alio qui non sperat se plus accepturum, nisi in tempore indeterminato, et ex re empta juste secundum naturam, tunc nihil accipitur ultra sortem, sed totum speratur ut suum, et de

sorte sua, non factum suum propter rationem temporis, sed propter naturam contractus. Opus. 73, c° 9.

183 Cum dicitur quod quando fit numismatis translatio ad alterum, ut seipsum augeat et multiplicet, fit tokos, idest, vitium usurae secundum Philosophum, verum est: quare cum in emptione reddituum ad vitam, fiat translatio pecuniae ad hoc ut seipsum multiplicet, videtur semper et naturaliter esse vitium usurae: dissolvendum est, quod intentio Philosophi, ut apparet ex dictis suis, est, quod numisma inventum est causa translationis aliarum rerum, quarum usus, vitae humanae est necessarius. Et ideo quandocumque aliquis utitur translatione numismatis, ut per numismata, alia ejusdem generis multiplicentur, fit abusus numismatis, et inhonestus contractus, et vocatur tokos, idest, parens rei. Et hinc constat mihi quod hujusmodi contractus de quo est sermo, non est tokos. Opus. 73, c° 9.

184 Et si redditus, pecunia emantur ad vitam, tamen ex natura contractus non habetur, quod ad hoc emantur ut pecunia pecuniae addatur, sed ut de ipsa pecunia empta res necessariae vitae humanae emantur. Et hic finis contradicit fini propter quem fit tokos. Opus. 73, c° 9.

185 Ut in pluribus in hoc contractu, non pecunia numerata, sed ipsae res emuntur, quae vel per fructus suos referuntur ad hominis usum, ut ager et possessiones aliae, vel per seipsas, ut triticum, vinum, oleum, et hujusmodi. Tokos autem est, ut dicit philosophus, numisma numismatis. Opus. 73, c° 9.

186 Tunc secundum Philosophum tokos est, quando acquiritur pecunia per pecuniam, ad similitudinem generantium similia sibi. Constat autem quod quando similia ex similibus generantur ad multiplicationem, quod generantia salvantur, et non corrumpuntur in generationibus suis. Opus. 73, c° 9.

187 Sed qui dat centum libras, ut habeat decem annuatim quamdiu vixerit, constat quod non est ibi ratio generationis, eo quod non manent centum librae vel in potestate vel dominio dantis cum sua genitura, sed penitus sunt translatae ab ipso nec manent etiam in jure repetendi, sicut fit in tokos. Quare magis debet vocari hujusmodi contractus transmutatio rei pro re, quam generatio alicujus rei ex re. Et sic apparet, quod ratio de tokos, nihil est ad propositum in hujusmodi contractibus. Opus. 73, c° 9.

188 Cum dicitur quod ex lege divina habetur, quod quando quis emit possessiones proximi sui, praecepta sorte ex proventibus fructuum, non liceat ementi aliquid ultra recipere, et quod omnis emens ad vitam possessiones vel redditus, sperat ultra sortem datam aliquid accipere et recipit si vivat ultra, secundum quod sperat, dicendum quod lex illa secundum literam intellecta, est divina, sed tamen est temporalis, sicut et aliae leges multae, quae tantum secundum literalem sensum in figura datae sunt illi populo. Et ideo sicut observantia jubilaei non manet in populo christiano, ita et leges quae propter jubilaeum datae erant, quarum una erat lex adducta, sicut apparet in textu. Opus. 73, c° 9.

189 Et iterum si consideretur id quod morale est in lege ista, quam exponit Glossa inducta, invenitur nihil facere contra naturam horum contractuum, sed tantummodo contra perversas intentiones divitum ementium, qui secundum quod dicit Glossa, molesti de pauperum necessitatibus negotiantur, et student possessiones aliorum acquirere, quando tenentur ex fraterna charitate eis indigentibus accommodare, et accommodata paulatim de fructibus agrorum recipere. Et sic evidenter apparet quod hoc accidit in hujusmodi contractibus, et non est de natura contractus, in quo frequentes sive indigentes non vendant, sed emunt. Opus. 73, c° 9.

190 Et nec lex, nec Glossa de se inficit vitio usurae hujusmodi contractum per naturam, sed tantum per accidens. Opus. 73, c° 9.

191 Cum dicitur quod in talibus contractibus semper aliquid speratur, vel accipitur ultra quam detur, causa solius temporis, et quod haec causa facit contractum usurarium, dicendum quod tempus potest referri ad aliquas rerum permutationes, ut conferens aliquid justi valoris, vel auferens. Et hoc modo si causa temporis plus vendatur vel minus, non erit hujusmodi contractus usurarius. Pluris enim aestimatur et juste mensura tritici in aestate, quam in autumno ceteris paribus, hoc est quantum est de natura temporis. Et ideo si quis accipiat plus de blado vendito pro tempore aestatis, quam dederit in autumno quando bladum emit, non judicatur usurarius, dum tamen pro illo tempore solo velit bladum vendere, et non pro alio 2-2ᵉ q. 62, 4, 2ᵐ | fi. | Opus. 73, c° 9.

192 Plus et juste appretiantur decem librae ad omne tempus annuatim, quam ad aliquod tempus particulare, vel plus et juste eadem ratione ad tempus juvenis, quam senis, et hoc ex natura temporis; et tamen non judicatur usura, si quis emit decem libras ad omne tempus, id quod plus recipit, vel sperat recipere quam dederit, licet ex tempore illud plus sibi accidat, et certitudinaliter. Quare nec similiter is qui plus recipit de eo quod ad tempus aliquod particulare emit debet judicari usurarius. Et haec est una causa, quia per naturam temporis, facta est res sua, cum suis proventibus. Et ideo totum est de sorte propria. Opus. 73, c° 9.

193 Potest etiam in contractibus tempus considerari ut nihil conferens vel auferens de natura rei, ex natura temporis, sed tantum consideratur ut mensura durationis extrinseca, ut quando ratione temporis sic accepti, aliquid plus accipitur vel speratur quam detur, jam patet vitium usurae vel injustitiae, quia illud plus quod ultra datum accipitur, nec ex natura rei recompensatur, nec gratis datur vel accipitur. Et ideo nullo justo titulo potest fieri proprium, sed semper est alienum. Opus. 73, c° 9.

194 In contractibus in quibus certi redditus vel possessiones emuntur ad tempus determinatum, sicut cum aliquis habet redditus certos, ut parochia, vel praebenda, vel ex patrimonio, vel aliunde, et hujusmodi redditus vult vendere ad sex annos vel ad aliquod tempus determinatum, ut simul habeat paratam pecuniam, an licite et absque vitio usurae possint emi pro minori pretio, quam valeant in annis tot acceptis; mihi videtur etiam ex parte ementis, justum posse fieri contractum, et justum esse, quantum est de natura contractus. Opus. 73, c° 9.

195 Potest autem fieri injustus per accidens dupliciter: scilicet uno modo quando corrumpit charitatem debitam fratri, idest quando emens videt fratrem in necessitate corporis vel animae, propter quam oportet eum vendere redditus vel possessiones suas, tunc emens si dives fuerit potens sine damno, proximo subvenire, dico sine praejudicio, quod tenetur ei mutuo dare, et loco pignorum, praedictos redditus vel possessiones accipere, donec acceperit quod accommodaverat. Alio modo potest fieri injustus contractus ex parte ementis, propter corruptionem finis debiti, qui est ad utilitatem vitae humanae. Unde quando causa lucri tantum, et augmentationis divitiarum fit, tunc est turpe lucrum. Sed primo modo, reducitur ad vitium usurae. Opus. 73, c° 9.

196 Natura hujusmodi contractus, habet in se tria, quae ipsum justum ostendunt. Unum est, ipsa vendentis liberalitas, qua potest rem suam dare gratis, vel permutare pro re minoris pretii, quam sit sua res. Et secundum hoc, nullum incidit usurae vitium in emente, quia id quod accipitur, totum est de voluntate libera domini. Aliud est ipsa aequitas permutationis rerum, quia quando res venditur pro tanto, quanto aestimatur juste, sive a venditore, et emente, sive ab iis qui sunt legis positivae, tunc est justitia in permutatione. Sed constat quod vendens non potest plus habere pro tempore pro quo vendidit, et etiam res futurae per tempora, non sunt tantae aestimationis sicut eaedem collectae in instanti, nec tantam utilitatem inferunt possidentibus, propter quod oportet quod sint minoris aestimationis. Tertium est ipsa ratio sortis; quia quo plus accipitur, quam datur, est de ratione sortis, eo quod emens totum emit, quod eventurum erat tempore determinato. Et ideo non ultra sortem propriam accipit, sicut nec ille qui emit redditus ad omne tempus. Opus. 73, c° 9, fi.

197 Hae sunt rationes, hujusmodi contractus justitiam ostendentes per quas etiam dissolvitur ratio contraria, quae videbatur ostendere usurarium contractum, quia etsi plus accipitur quam detur, hoc fit de natura rei permutatae. Et illud plus non est accidens sorti, sed est de sorte ementis, sicut etiam plus accipitur quam detur in his possessionibus, quae emuntur haereditarie, ad omne tempus. Opus. 73, c° 9, fi.

198 Quando res carius venduntur propter temporis dilationem tantum, quam aestimentur in tempore venditionis, quia videmus hanc rationem fere in omnibus venditionibus fascellorum lignorum, qui per centenarios et millenaries generaliter venduntur, an justitia possit inveniri in hujusmodi contractibus, an simpliciter sint usurarii, credo sine praejudicio aliorum, posse excusari hujusmodi contractus a vitio usurae, et maxime quando verisimiliter est dubium, res hujusmodi plus minusve valituras tempore solutionis. Opus. 67, 1ᵐ | Opus. 73, c° 10, prinᵒ. Credentia.

199 Invenitur etiam hujusmodi contractus in dominis principalibus, qui sylvas et nemora vendunt persolvenda in tempore quo est ipsorum usus convenientior, quam sit in tempore venditionis, invenitur etiam in mercatoribus, qui ab ipsis dominis emunt sylvas et nemora, per mensuras terrae, et ex ipsis fascellos faciunt, quos ulterius vendunt per numerum. Utrique ergo propter credentiam, quam faciunt usque ad tempus, vendunt carius ligna, quam valeant tempore venditionis. An sit ibi contractus usurarius, dico quod non propter dilationem solutionis in prolixo tempore, hujusmodi res carius venduntur, sed propter justam aestimationem rerum, quae in tempore futuro, quo determinata est solutio, sunt plus valiturae probabiliter, quam in tempore venditionis. Et sic non plus accipitur quam datur ratione temporis tantum, sed servatur aequitas inter datum et acceptum pro tempore pro quo fit venditio. Opus. 73, c° 10.

USURA

ti injuste, contra injuriam proximi. Opus. 73, c° 18, prin°.

275 Sed de perfectione satisfactionis ultima exiguntur signa, scilicet testimonia praedictorum, in quibus est meritum perfectae humilitatis quantum ad Deum et restitutio famae personalis contra scandalum ex peccato innatum quantum ad ecclesiam. Et quantum ad hoc etiam usurario notorio, non tantum hoc est perfectionis, sed etiam necessitatis, saltem publicae et in manu ecclesiae, restitutiones faciendas promittere et firmare, quia alias privaretur de jure sacramentis et christiana sepultura. Opus. 73, c° 18.

276 Consuetudo fere in omnibus apud nos habet, quod prius persolvantur debita quae clara sunt, et postea fiant usurarum restitutiones et ultimo legata solvantur. Et hujus consuetudinis potest esse ratio, quoniam legata sunt secundum quid donata et non simpliciter donata. Ratio enim legati, duo importat: scilicet quod non est res data simpliciter, nisi per mortem legatoris, unde semper vivente legatore, potest revocari; et quod sint legata propter utilitatem aliquam legantis post mortem. Et ex iis potest patere, quod legata inquantum hujusmodi sunt, non obligant secundum necessitatem justitiae, sed secundum devotionem et utilitatem legantis. Opus. 73, c° 18.

277 Cum autem necessaria ad salutem praecedant ea quae sunt devotionis et supererogationis, juste solvuntur debita usurarii ante legata. Opus. 73, c° 18. * Restitutio 8.

278 Sed majori justitia restituenda sunt ablata, quam debita sint solvenda, cum in hoc impleatur justitia, tollens injuriam factam Deo a proximo. Sed in solutione debitorum nulla tollitur injuria, sed tantum solvitur justitia. Quare secundum hoc videntur prius restituenda ablata, quam solvenda debita. Restitutio enim praefertur etiam subventioni parentum nisi in extrema necessitate 2-2, q. 31, 3, 3^m | q. 32, 7, 3^m | q. 62, 5, 2^m | Opus. 73, c° 18. Restitutio 8.

279 Sed contrarium fit ut in pluribus. Quod tamen potest habere rationem ex duobus: scilicet uno modo quando debita sunt clara et manifesta, sed restitutiones non sic, sed inquirendae sunt; et clarum semper praecedit obscurum in jure humano. Alio modo quando res quae debetur, est determinata, scilicet centum vel decem, sed res restituenda non sic. Sed determinatum jure praecedit indeterminatum inquantum hujusmodi. Opus. 73, c° 18.

280 Quando restituenda sunt clara et aperta, et determinata per apertam confessionem restituentis usuras, debet de jure restitutio praecedere omnia debita: quod tamen raro observatur, quia quod juris est, a paucis advertitur. Opus. 73, c° 18.

281 Et secundum dicta patet, quod prius debet restitutio usurarum fieri uni personae, quam alteri, scilicet quando restitutio unius est clara et determinata et alterius non sic ceteris paribus. Opus. 73, c° 18.

282 Si unus sit dives et alter pauper et plus indigens iis de quibus restitutio facienda est, et aequaliter sit clarum in utroque, adhuc prius pauperi potest restitutio usurarum juste fieri quam diviti, eo quod plus laesus est in ablatione suorum, et quia plus indiget 2-2, q. 31, 3, 3^m | q. 32, 7, 3^m | q. 62. 5, 2^m. Opus. 73, c° 18.

283 Tamen si uterque sit aequalis conditionis, scilicet in paupertate vel divitiis et aequaliter clarum sit de utroque, si uni prius facta sit injuria quam alteri, adhuc illi prius est restituendum ordine juris naturalis, cui prius facta fuit injuria. Opus. 73, c° 18.

284 Si per partes facienda est restitutio usurarum, unicuique proportionabiliter restituendum est, secundum quantitatem ablati, ita quod si tantum tertia pars est ablatorum, vel media, vel alia quaelibet pars, ceteris paribus facienda est omnibus restitutio tertiae partis omnium restituendorum. Cujus ratio est, ut omnibus ostendatur bona voluntas restituendi omnia, si adesset facultas, et sic fit pronior quilibet ad condonandum injuriam sibi factam, quando videt voluntatem ad emendandum paratam. Opus. 73, c° 18.

285 De materia autem et quantitate restituendorum, an scilicet si quis ovem vel bovem vel aliquam quamlibet rem acceperit per usuram ultra sortem, teneatur eamdem rem restituere, aut sufficiat pretium rei restituere, dicendum est quod aliter judicandum est de furto et rapina, et aliter de usura: quia in usura aliqualiter transfertur dominium jure fori, licet non jure poli, sed nullo modo in aliis. Unde equus furto ablatus, in cujuscumque manum transierit, semper est restituendus, etiam in jure fori. Sed non sic equus per usuram acceptus. Opus. 73, c° 19, prin°.

286 Aliter judicandum est in usura et furto, et dicendum quod sufficit, si fiat in usura restitutio pretii: cujus ratio est duplex. Opus. 73, c° 19.

287 Una ratio est, quia quod accipitur in usura ultra sortem, non aufertur invito, vel per violentiam aliquam illatam domino, sicut est in furto vel rapina. Et ideo proprie in usura, non dicitur ablatum, sed potius acceptum contra justitiam naturalem et divinam. Sed quod ablatum est, idem numero restituendum est, etiam si melioratur. Opus. 73, c° 19.

288 Alia causa et ratio, est ex natura permutationis, in qua ultra sortem accipitur quae est natura mutui. Sicut enim in mutuis non est necesse quod idem numero reddatur, sed tantum aequale in pretio, ita nec in superabundantia accepta ratione mutui, est necesse idem restituere, sed sufficit aequivalens in pretio. Opus. 73, c° 19.

289 Quod autem in lege scriptum est de duplo, quadruplo et quintuplo, non habet locum in usuris, sed tantum in furtis vel rapinis, eo quod hujusmodi usurae non destruunt bonum reipublicae de sua ratione, sicut faciunt furta et rapinae, sed tantum corrumpunt bonum personale, sive fraternum bonum; et hoc non inferendo malum, sed tantum non faciendo bene fratri debitum. Et de iis alias scripsimus in septimo praecepto decalogi diffusius 2-2, q. 62, 3, 2^m | 4, d. 15, q. 1, a. 5, q. 2, 6^m | Opus. 4, c° 24, fi. | Opus. 73, c° 19.

290 Aliter judicandum est de restitutionibus usurarum, etiam quo ad proventus et omnia alia lucra ex iis provenientia, et aliter de restitutionibus furti et rapinae. Illud enim est restituendum, quod nullo jure fit suum, nec divino, nec humano. Et ideo injuria fit non tantum apud Deum, retinere res sic ablatas et rerum fructus et usum, sed etiam apud homines fit justum, tam jure fori communis, quam jure conscientiae personalis. Sed non sic est in usuris: quia licet sint contra jus divinum et contra jus naturale naturae spiritualis, quod respicit solum debitum gratia et charitatis, tamen non est directe contra jus humanum, quod respicit generaliter reipublicae utilitatem et justitiam. Et ideo quo ad hoc transfertur in eis dominium nec habent rationem ablatorum. Opus. 73, c° 20.

291 Constat autem quod jura allegata quibus dicitur, quia quod ex alieno convenit alicui rationem de jure accipit alieni, ut videntur jura expressa per decretalem, ubi videtur quod oportet reddi res cum fructibus perceptis et quae percepissent spoliati, si ipsa possedissent, et hoc etiam expresse habet lex per decretalem, ubi dicitur quod talis tenetur ad omnia lucra percepta et percipienda: dicendum quod constat quod talia jura allegata de rebus per violentiam ablatis loquuntur, in quibus nulla radix justae possessionis invenitur, sed non loquuntur in usuris triplici ratione. Opus. 73, c° 20.

292 Primo quia simpliciter ibi non est ratio spoliationis violentae vel furtivae de qua loquuntur praedicta jura. Secundo quia in usuris ipsa superabundantia primo et per se est in pecunia, quae non habet fructum, quantum est de natura sua; eo quod causa tantum translationis aliarum rerum facta est. Tertio etiam generaliter in ipsa restitutione facienda, tantum restituendum est damnum, quod illatum est. Sed tantum non est illatum damnum ut in pluribus, quantum provenit commodum furi, de re furtiva et spoliata, eo quod fur labore proprio et solertia, rem furtivam multiplicavit, quod non fecisset possessor verus. Opus. 73, c° 20.

293 Hoc tamen est generaliter advertendum, quod in omni restitutione facienda, omnes fructus et omnia lucra, ex eo quod proveniunt ex re restituenda, secundum quod injuste possidentur hujusmodi fructus et lucra, et ex eo quod proveniunt ex re male detenta secundum justitiam divinam, habent rationem alieni, secundum rationem beati Augustini. Quare secundum Deum usurae vel hujusmodi fructus retineri non possunt, nisi auctoritate divina. Opus. 73, c° 20.

294 Hoc solum restituendum est homini, in quo facta est ei injuria de re sua, sive in usuris, sive in aliis. Sunt autem quaedam res quae de natura sua habent in possidendo fructum et utilitatem, aut quia multiplicantur et augentur ex natura temporis, aut quia excoluntur solertia humani ingenii et laboris, ut terrae et agri. Et hujusmodi res restituendae sunt homini, cum suis proventibus, quia in hoc homo cui facta est injuria de re sua ablata damnificatur, non solum quantum ad rei substantiam, sed etiam quantum ad rei usum et fructum ex usu provenientem. Et sic possunt et debent intelligi jura allegata et non in usuris. Opus. 73, c° 20.

295 Illi etiam semper facienda est restitutio, qui passus est injuriam et damnum. Si ergo aliquis passus sit injuriam et non damnum, illi non est facienda de jure restitutio realis, sed tantummodo, secundum genus injuriae, facienda est emendatio per similem satisfactionem. Unde qui proximum verberat, in nullo eum damnificando, non tenetur ad aliquam restitutionem realem, quia omnis restitutio realis facienda alicui commensurari debet secundum quantitatem damni illati. Hinc est quod lex Moysi generaliter omnem furem cujuscumque rei quae usum habet et utilitatem, condemnabat ad restitutionem dupli, unum scilicet propter rei substantiam et aliud propter rei ablatae usum: quod non contingit in usura de se. Ex quo concluditur, quod in omni restitutione facienda homini debet considerari damnum, tam rei quam usus qui ex ea provenit ex natura rei. Opus. 73, c° 20.

296 Si ergo aliquod lucrum provenit usurario ultra rem et rei usum

naturalem, ex propria operatione et solertia ejus, in quo non est alius damnificatus, dico sine praejudicio, quod non tenetur restituere homini hujusmodi lucrum 2-2, q. 78, 3, o. | Quol. 3, q. 7, 2, o. | Opus. 73, c° 20.

297 Si homo usurarius centum marchas argenti habuit ex usuris, ex quibus formavit imaginem, quam vendidit centum et decem marchas, credo sine praejudicio, quod illas decem marchas, super crescentes, non tenetur restituere ei, a quo praedictas centum marchas habuit. Tamen non potest eas retinere secundum Deum, quia contra Deum de re aliena sibi acquisivit. Et ideo sola auctoritas ecclesiae ad restituendum vel distribuendum requirenda est. Opus. 73, c° 19.

298 Si quis quamcumque rem furtivam statim vendat post furtum, aut convertat in usum proprium, ipsam statim totam consumendo, et non statim restituat sed post tempus velit eam restituere, an teneatur ad omnes fructus usuum, quos percepisset verus dominus rei, in tempore illius morae quod videtur secundum jura allegata. Opus. 73, c° 20.

299 Aliquis furatus est pullum equinum, aut vitulum, quem verus dominus usque ad annos perfecti valoris custoditurus erat, sed fur statim vendidit et liberavit se a furto, an fur teneatur restituere, pulli valorem tantum, vel etiam equi valorem, quod videtur secundum jura allegata et tenetur restituere lucra secundum legem, ergo multo magis damna illata. Opus. 73, c° 20.

300 De pecunia etiam ablata, aut etiam injuste possessa, quia potest contingere, quod ille a quo est ablata, sive injuste accepta, mercando ex ea auxisset eam, aut fortasse propter ejus defectum vendidit possessionem suam, et ex hoc damnum multum accepit, an detinens et accipiens hujusmodi pecuniam sine justo titulo, teneatur ad omnia lucra, quae verus possessor ex ea fecisset, sive ad omnia damna quae exinde accidunt vero domino ad plenam restitutionem. Opus. 73, c° 20.

301 Ad haec dicimus sine praejudicio, quo ad restitutionem alicujus rei faciendam, duo principaliter consideranda sunt, scilicet valor rei quae principaliter ablata est, vel accepta injuste, et damnum quod illatum est injuriam passo. Propter primum dico, quod eadem res quae ablata fuerat, restituenda est aut aequivalens et similis in specie et valore. Opus. 73, c° 20.

302 Sed quantum ad secundum notandum est, quod aliquando dicitur damnum illatum proprie et per se, et aliquando per accidens tantum et non per se. Et si sit primo modo, tunc tenetur reus ad restitutionem damni cujuscumque sit. Secundo modo, non tenetur ipsi passo damnum. Opus. 73, c° 20.

303 Si quis damnum passus pro pecunia sibi ablata, in hoc quod ex ea volebat emere necessaria sibi ad vitam, sive solvere empta, sive debita, pro cujus expoliatione incurrit damnum, quia propter ejus defectum, oportuit eum vendere possessiones suas sibi utiles, aut accipere pecuniam mutuo ad usuram, aut si aliud incommodum incurrisset, dico quod hujusmodi damnum, per se incidit ex furto vel rapina. Et ideo restituendum est ipsi qui passus est. Opus. 73, c° 20.

304 Potest autem incidere ibi damnum per accidens, quando scilicet ex pecunia ablata, locum quod intendebat non acquisivit, et nullum aliud passus est damnum. Et tunc dico sine praejudicio, quod lucrum tale, non est restituendum ei qui passus esse dicitur hujusmodi damnum. Opus. 73, c° 20.

305 Si vero sint res ablatae, quae ex sui natura possunt secundum naturam temporis augeri et crescere in pretio, tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum rerum, quod valiturae erant, secundum naturam rei et temporis, in tempore quo vult restituere eas. Et istud etiam in usuris est advertendum, quantum ad res quae accipiuntur pro usuris. Opus. 73, c°
306 19, fi.
Quibus poenis vitium usurae coercendum sit, videamus. Opus.
307 73, c° 21, prin°. Judaei 46.
Usurarii triplici poena juris coercentur: scilicet quod prohibentur ad sanctam communionem recipi et ne similiter recipiantur eorum oblationes in altari et ne recipiantur in christianorum sepultura. Et haec tria habentur in diversis decretalibus de usuris. Opus. 73, c° 21

308 Insuper additur poena his qui contrafecerint, scilicet poena suspensionis, nisi per arbitrium episcopi sui prius satis fecerint. Opus. 73, c° 21.

309 Insuper etiam per accidens consequitur tales nota infamiae. Unde et usurarii publici, quando propter usuras pecunias ab aliquo quas dederant repetunt, repelli possunt per exceptionem, donec prius ipsi de usuris satisfecerint secundum decretalem. Opus. 73, c° 21.

310 Specialiter autem super his poenis, possunt clerici vere ab officio suspendi si fuerint usurarii, secundum decretalem. Opus. 73, c° 21.

311 Contumaces vero, qui nec propter poenas praedictas, nec propter poenas judicis corriguntur, debet et potest judex, per suspensionis et depositionis sententiam clericos coercere. Laicos vero per excommunicationis sententiam cohibere, secundum decretalem. Opus. 73, c° 21.

312 Si non sufficit justitia ecclesiastica, debet justitia laicalis in auxilium advocari, secundum decretalem. Opus. 73, c° 20.

313 In foro autem poenitentiali, ubi de correctione peccati agitur maxime inquantum usura est contra legem Dei, sic compellendi sunt usurarii ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam quantum potuerint, aut dilationem petierint ab his quibus tenentur restituere, aut si pauperes et impotentes sunt, ad restitutionem faciendam, promittant Deo et confessori suo, quod si aliquando ad frugem prosperitatis venerint, se restituturos pro sua facultate, aut certe remissionem postulabunt ab his quibus restituere tenentur. Alias non debent absolvi in foro poenitentiae. Opus. 73, c° 21.

314 Sicut ergo confessor ostendit usurarium absolutum a Deo, quem absolvit verbo, ita non debet absolvere verbo, nisi cum videt signa restitutionis fiendae in confitente, quae signa determinata sunt in his quae praediximus, secundum diversos status restituentium. Opus. 73, c° 20, fi.

Usuraria. Foenus. Usura 128.

Usurarius. Foenerator. Usura 61, 107, 108, 109, 112, 115, 211, 228, etc. 314.

Usurpatio. Divinatio 3, 10. Furtum 8. Judicium 23, 39. Praelatio 1, 17. Tyrannus 11.

1 USUS significat actum cujuslibet potentiae. Unde hoc nomen usus ita significat actum quod nullo modo potentiam, vel habitum. Verit. q. 17, 1, c. * Abstinentia 6. Abuti. Accidens 69, 71. Actus 16. Adam 56. Agens 34. Altare 1. Ambitio 2.

2 Usus rei dicitur ad quem res principaliter ordinatur, potentia autem qua in peccatum possumus non ordinatur ad malum, sed ad bonum, et ita peccare non est usus ejus 4, d. 44, q. 1, 1, 5m. * Anathema. Angelus 382. Animal 36, 48. Annexum o. Appropriatio 24. Aqua 17. Ars 1, 9. Baptismus 64, 85, 87, 93, 102, 132, 246. Bonitas 194, 203, 207, 217. Campsoria 8. Cibus 5, 7, 9. Clavis 4, 14, etc. Coitus 4, 5.

3 Cujus usus bonus est, scilicet per se, ipsum quoque bonum est, non autem per accidens 1a Cor. 7, fi.

Et re quidem vera quo iure pactove dici ab Aquinate potest sine ulla temporis definitione *simpliciter* immunis Virgo, si eius personam existimat fuisse aliquando peccato originali vere proprieque obnoxiam? Fatetur Aquinas (III. 27, 2) Ieremiam et Ioannem Christi praecursorem ab originali culpa in utero matrum mundatos fuisse, numquam tamen eos dicit a peccato originali *simpliciter* immunes.

Quid quod si ea tribuatur voci *immunis* significatio, illud praeconium quod allatis Anselmi et Aquinatis testimoniis continetur, non fuisset uni Beatae Virgini tamquam *proprium* impertiendum sed omnibus prorsus hominibus tribuendum, qui baptismate aliove medio ab omni peccato sunt emundati, habito respectu ad tempus quo peccati sunt expertes.

Tametsi autem quis dicat Aquinatem in citato testimonio praeter emundationem ab originali peccato concedere Virgini immunitatem a quolibet peccato actuali etiam veniali, argumenti vis minime frangitur. Quandoquidem, quod attinet ad puritatem *per recessum a contrario* de qua sermonem habet in prima testimonii parte Angelicus Doctor, in adversariorum sententia, omnes infantes qui baptismate accepto statim decedunt, puritatem cum Virginis puritate omnino communem haberent.

Praeterea nonne sanctus Doctor eadem prorsus ratione immunem praedicat Virginem ab originali atque ab actuali culpa? Atqui in comperto est secundum Aquinatis sententiam (III. 27, 4), *nunquam* subiacuisse Virginis personam actuali culpae. Quam ob rem eatenus ab originali immunem affirmat eam fuisse, quatenus eius animam *in semetipsa nunquam* originali culpae vere proprieque obnoxiam fuisse credit.

Tandem si Aquinas Virginis animam proprie vel per *unum* instans ab accepta existentia subiicit originali culpae, eamque immunem praedicat eo quod deinde eadem fuit liberata, nonne potius a culpa eadem, ut paulo antea dixi, fuisset ab Aquinate inferendum discrimen, quod intercedit inter Virginis Deique puritatem, quam a peccandi *una* potentia? Sed ab hac *una* huiusmodi discrimen colligit. Ergo nemini anceps potest esse significatio, quam voci *immunis* tribuit Aquinas, atque ideo procul dubio allatum testimonium omnino ostendit Aquinatem existimasse animam Virginis *nunquam vere, proprie* atque *in se* fuisse peccato originali subiectam Virginisque personam fuisse puram ab omni labe primo etiam instanti quo existere coepit.

8. Quod expressis verbis « talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato *originali* et actuali immunis fuit » protulerat Doctor Angelicus, id etiam implicitis professus est. Nam I. II. quaest. 82, art. 5, ait: « Oportebat ut Mater Dei *maxima* puritate niteret; non enim est aliquid digne receptaculum Dei, nisi sit mundum secundum illud Psal. 92, 5: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo. »

Praeterea, III. quaest. 27, art. 5: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit 4, cap. cael. Hierarch., quod angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae; Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo *prae ceteris majorem debuit a Deo gratiae plenitudinem obtinere.* »

Etiam, de Veritate quaest. 24, art. 9: « Dona gratiae non sequuntur ordinem naturae de necessitate, et ideo quamvis humana natura non sit angelica dignior, tamen alicui homini collata est *maior gratia quam alicui Angelo,* sicut Beatae Virgini et homini Christo. Confirmatio autem in bono Beatae Virgini competebat, quia Mater erat Divinae Sapientiae, *in qua nihil inquinatum incurrit,* ut dicitur Sap. VII. »

Insuper, Sent. III. Dist. 3, quaest. 1, art. 1, sol. 3: « Ipsa super omnes alios sanctos *a peccato purior* fuit, ut ex hac littera habetur, velut Divinae Sapientiae mater electa, in quam *nihil coinquinatum incurrit,* ut dicitur Sap. VII. Unde cum haec puritas in quibusdam fuisse inveniatur, ut ante nativitatem ex utero a peccato mundarentur, sicut de Joanne Baptista, de quo legitur Luc. 1, 15: « Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae, » et de Hieremia, de quo dicitur Hierem. 1, 5: « Priusquam exires de ventre sanctificavi te: » non est dubitandum *hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuisse.* »

Tandem, ut alia sane plura Angelici Doctoris testimonia silentio praeteream, Com. in Salut. Angel.: « Tertio *excedit Angelos quantum ad puritatem:* quia Beata Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim *purissima* fuit et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo *nec mortale nec veniale* peccatum incurrit; item quantum ad poenam. Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter pecca-

tum... Sic ergo immunis fuit ab *omni maledictione* et ideo benedicta in mulieribus; quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et ianuam Paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen — Maria — quod interpretatur Stella maris. »

9. Nemini prudenti sententia Aquinatis anceps vel tantulum esse potest. *Maxima puritate* Virgo nitet? Ergo originalis culpae immunis esse debet: purior enim est huius culpae expers quam eidem obnoxia. Deo ob gratiam *propinquissima?* Ergo originali culpa vacat; propinquior est enim Deo qui omni culpa caret. Angelos antecedit non solum *sanctitate et dignitate*, sed etiam *puritate?* Ergo immaculata a prima origine est, tales enim Angeli extitere. *Multo excellentius* quam Ieremias ac Ioannes Baptista obtinuit primae sanctificationis donum non solum quod ad ipsius gratiae intensitatem attinet, verum etiam quod attinet ad immunitatem a peccato, utpote *Sapientiae mater electa,* in quam *nihil inquinatum incurrit?* Ergo Deus animam eius immaculatam ac sanctam creavit; neque dicendum est naturam praecessisse tempore gratiam. *Purissima* fuit *quantum ad culpam, quia nec mortale nec veniale peccatum incurrit?* Sed citra dubium originis peccatum mortale est. Etenim *mors* animae hic in sanctificantis gratiae privatione consistit, post animae separationem a corpore in illius visionis privatione, quae non per speciem et in aenigmate, sed facie ad faciem est, et beatifica nuncupatur. Quam ob rem cum peccatum originis in sanctificantis gratiae privatione *formaliter* consistat, cumque anima eodem infecta Deum facie ad faciem intueri nequeat, mortale simpliciter est dicendum, tametsi quod ad personam spectat minus voluntarium quam veniale sit. Non igitur Virgo originale peccatum incurrit. Denique immunis fuit ab omni maledictione? Ergo etiam a prima, qua nascimur *filii irae* (Ephes. 2, 3), et ideo libera est a peccato originis, quod virtute continet in se quodammodo omnia peccata (S. Th. in epist. ad Rom. c. 4, lect. 1).

In perspicuis est allata testimonia esse praemissas, ex quibus *profecto logica necessitate* haec illatio consequitur — Virgo, quia Mater Dei, fuit ab originali peccato immunis. — Aut igitur Aquinas ex eisdem praemissis hanc illationem sequi ignorat, aut hanc illationem inferendam esse negat, aut ipsam amplectitur. Ignorat? sane! omnibus pervium est quod Angelicae menti impervium, et nobis vis quae inest eius testimoniis est perspicua, illi autem obscura. Negat? profecto! is est Aquinas, qui logicam a primo limine non salutaverit, et neget eam illationem e praemissis inferendam esse, quae evidentissimo nexu easdem sequitur. Fatendum idcirco nobis est, Aquinatem illatae conclusioni certa animi persuasione adhaerere, qua Virgo Mater Dei ab originali peccato immunis esse perhibetur. Iis igitur testimoniis, quae secundum nonnullorum sententiam a vulgatis editionibus expuncta sunt, omissis, manifestum nobis est Aquinatem Virginis privilegium esse professum.

SECTIO III.

Quamquam est aperta verborum oppositio, tamen rerum sententiarumque dissidium nullum reapse est inter doctrinam nostris temporibus catholico orbi credendam propositam et Aquinatem affirmantem Virginis conceptionem sanctam nequaquam extitisse, sed peccato obnoxiam.

10. Angelicus Doctor profitetur expressis verbis Virginis conceptionem sanctam nequaquam fuisse, sed peccato originali obnoxiam. En indubia eius testimonia. « Beata Virgo in peccato originali fuit concepta (III. Dist. III. q. 1, sol. 1). »

Etiam: « Caro Virginis concepta fuit in originali peccato (S. III. q. 14, 3). »

Et: « Corpus B. Virginis totum fuit in originali peccato conceptum (S. III. q. 7). »

Praeterea: « Oportuit quod cum peccato originali conciperetur, utpote quae ex utriusque sexus commixtione concepta fuit. Hoc enim privilegium sibi soli servabatur ut Virgo conciperet Filium Dei. Similiter etiam quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor: quod derogat dignitati Christi (Opus. III. Comp. Th. c. 224). »

Si verborum corticem inspicias, atque inde praeceps iudicium feras, Aquinatis sententiam esse doctrinae catholicae directe oppositam asseverabis. Sed enim licet verborum pugna appareat, rerum sententiarumque oppositio nulla prorsus in iis locutionibus inesse dicenda est. Et re quidem vera nulla rerum sententiarumque est oppositio, si vocabulo conceptionis alia inest secundum Aquinatem significatio, quam ea quae inest eidem in catholica definitione; si aliud est peccati originalis subiectum secundum Aquinatem ac illud quod ab eodem peccato in oraculo pontificio declaratur immune; si alia penitus est peccati originalis ratio secundum Aquinatem atque ea quae in dogmate esse perhibetur. Atqui citra omnis dubitationis aleam huiuscemodi conditiones sunt admittendae: idcirco nulla inest aut inesse potest illis locutionibus rerum sententiarumque oppositio, quamquam verborum discrepantia sit manifesta.

11. a) Primo quidem alia inest vocabulo *conceptionis* significatio in Aquinatis locutionibus ab ea quae inest vocabulo *conceptionis* in catholica definitione. Veteribus enim doctoribus nihil fuit antiquius quam principiorum seminalium unionem nuncupare conceptionem. Ita Halensis (III. P. q. IX. memb. II. ar. II. III.): « Conceptio dicit commixtionem, quae est in principiis seminalibus viri et mulieris, quae commixtio fit per naturam » (1). Etiam Anselmus: « Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus (De Conc. Virg. c. 7). » Et Magister sententiarum: « In ipso conceptu ubi dicitur trans-

(1) Beyerlinck in suo Magno Theatro ait: « Conceptio, sive conceptus, est actus ipse concipiendi, quem graeci συλλήψιν συλλαμβάνειν τὸ σπέρμα, id est, ab apprehendendo semen genitale ad efformandum fetum. »

mitti peccatum, propagatur caro, nec tamen infunditur anima secundum physicen, sed iam effigiatis corporibus (II. Dist. 32). » Hos sequitur Aquinas, quam ob rem affirmat esse Virginem in peccato originali *conceptam* ante animationem, seu ante quam ejus anima crearetur et in corpus infunderetur, ut manifestum erit ex multis testimoniis, quae in hoc opusculo sumus daturi (Cf. III. Dist. III. quaest. 1, art. 1, et Sum. III. 27, 2, et III. 33, 2 et 7, et Comp. Th. c. 224, etc.).

Porro sciendum est secundum Aquinatis scholasticorumque doctrinam in humana generatione (*praesupposito* viri mulierisque concursu) duos esse terminos constitutos, alterum qui nuncupatur *a quo*, estque conceptio seu principiorum seminalium in unum copulatio, alterum qui dicitur *ad quem*, et est animatio seu creatio simulque infusio rationalis animae in corpus, apta ratione suis membris perfectum. Et quamvis non eam inficias, ad conceptionis tempus aliquando ab Aquinate revocari totum illud tempus quo fetus inanimis suis membris perficitur: nihilominus sine cunctatione affirmo, nunquam ab eodem Doctore ipsam animationem seu animae rationalis *creationem et in corpus infusionem* nuncupari conceptionem. Sed enim mos inter scholasticos doctores appellandi ipsam animationem *simpliciter* conceptionem ita deinde invaluit, ut Pontifices Romani hanc eamdem conceptionis vocabulo significandi potestatem concesserint. Cum autem fetus nomine egregie etiam id usurpetur quod anima rationali caret, quapropter non solum homines, sed et bruta et plantae (Cic. 2, De Orat. c. 50, et passim apud Virg. Georg.), fetus habere dicuntur, cumque persona sit naturae humanae individua substantia, quae sine rationali anima esse nequit, apposite primam conceptionem, quae praecedit animationem, *fetus conceptionem*, alteram, quae animatione fit, *personae conceptionem* nuncupabis. Haec autem ad quaestionis expolitionem veterumque Doctorum interpretationem exhibendam dico: ceterum hisce temporibus dum vocabulo — conceptione — utimur, nefas omnino est ab ea significatione recedere quam Sedes Apostolica adhibuit adhibetque. Etenim non quod solum spectat ad sententias, sed etiam ad vocabulorum usum auctoritatem Ecclesiae sequendam esse omnino ducimus, posthabita, si qua eidem contraria sit, quorumcumque doctorum auctoritate, secundum effatum Aquinatis: « Ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque doctoris (II. II. 10, 12). »

Verum de iis hactenus; in comperto enim est apud Aquinatem conceptionem non esse *animationem*, sed tempore antecedere ipsam animationem; penes Romanos Pontifices (ut constat ex Bullis dog. Pii P. IX. et Alex. VII. cit. Sect. I.) esse *animationem ipsam*, scilicet *animae creationem* et in corpus *infusionem:* quocirca non eadem apud illos et Aquinatem est, ad illud nomen quod attinet, significatio (1).

12. b) Secundo, inquam, aliud est iuxta Aquinatis doctrinam subiectum originalis peccati, dum ait Virginem obnoxiam peccato originali fuisse in sua conceptione, aliud iuxta pontificium oraculum, dum eamdem fuisse in sua conceptione immunem decernit. Ut explorata sit atque omnimoda perspicuitate nitens Angelici Doctoris sententia, duo scholasticae placita sunt in mentem revocanda. Primum est, inter fetus conceptionem, quae est primus terminus *a quo* humanae generationis, et personae conceptionem, quae est ultimus terminus *ad quem*, aliquam temporis moram intercedere. Alterum est, quamquam certa scientia ratum minime sit quantum temporis interfluat, nihilominus animam rationalem non creari et in corpus infundi, nisi posteaquam perfecta sint potiora saltem corporis membra. Non mea interest haec philosophiae scholasticae placita in praesenti comprobare rationum momentis, atque etiam recentiorum in re medica peritorum auctoritate; tametsi perspicuum sit neminem affirmare posse *eodem prorsus instanti* quo fit fetus conceptio, seu prima seminalium principiorum copulatio, animam condi corporique informando infundi, atque ideo effici etiam personae conceptionem (1).

Hoc, secundum Aquinatis praeclarissimorumque doctorum sententiam, *solius* Christi Domini Nostri privilegium fuit; eo quod non efficiebatur embrio in Virginis utero virilis seminis efficacia, sed fiebat proles Spiritus Sancti *virtute* (III. 33, 2): « Dicendum est, quod ad hoc ut conceptio ipsi Filio Dei attribuatur, ut in symbolo confitemur dicentes: qui conceptus est de Spiritu Sancto: necesse est dicere ipsum corpus Christi, *dum conciperetur*, esse a Verbo Dei assumptum. Ostensum est autem supra (qu. 6, art. 1. 2), quod Verbum Dei assumpsit corpus mediante anima, et animam mediante spiritu, id est intellectu (2). Unde oportuit, *quod in primo instanti*

(1) Benedictus XIV. de Festis (c. XV.) ait: « Conceptio dupliciter accipi potest: vel enim est activa, in qua sancti B. Virginis parentes opere maritali invicem convenientes praestiterunt ea quae maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam; vel est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur. Ipsa animae infusio et unio cum corpore debite organizato vulgo nominatur conceptio passiva, quae scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris ac suis organis constanti unitur; ut cum aliis Theologis ait Frassen. Non hic de activa conceptione sermo est, sed de passiva; quae pura et immaculata fuisse dicitur. B. enim Virgo ab originali labe fuit immunis, et a communi omnium hominum contagione libera per gratiam sanctificantem, quam Deus illi indidit *in primo Conceptionis momento, cum anima corpori iam membris suis instructo unita fuit.* » Procul dubio, quae heic conceptio passiva nuncupatur, circa quam versatur catholicum dogma, ea est quae ab Aquinate dicitur *animatio*, atque est conceptio personae. Verum conceptio activa, quae *parentibus tribuitur*, est ne eadem ac unio seminalium principiorum, quam fetus conceptionem dicebamus? Fortasse non immerito distingui invicem possunt; illa enim videtur antecedens, haec autem consequens et quasi media inter activam, quae parentibus tribuitur, et passivam, quae in animae rationalis creatione et in corpus infusione consistit.

(1) Hinc patet recentiores, qui autumant paucis post diebus ab unione seminalium principiorum animam rationalem creari et in corpus infundi, egregie secernere fetus conceptionem ut terminum *a quo* generationis humanae, a conceptione personae ut termino *ad quem*. Consule recentiores in re medica peritissimos, ex. gr. *Frédault* — Physiologie Générale. — Traité d' Antropologie (Paris 1863). Livre III. c. I. 4, de la génération. — *Santi* — Saggio filosofico: Della forma, genesi, corso naturale e modi dei viventi. — *Liverani*: Sui principii del moderno ippocratismo.

(2) Ut horum verborum sinceram significationem accipias, haec considera: « Est duplex ordo: unus quidem temporis,

conceptionis corpus Christi esset *animatum anima rationali.* » Propterea in responsione ad 3 inquit: « In generatione aliorum hominum locum habet quod dicit Philosophus (scil. adesse temporis intercapedinem inter terminum *a quo* generationis et terminum *ad quem*) propter hoc quod *successive* corpus formatur et disponitur ad animam... Sed corpus Christi *propter infinitam virtutem agentis* (1) *fuit perfecte dispositum in istanti*: unde statim in *primo istanti* recepit formam perfectam, idest animam rationalem. »

13. Quibus positis unum quaero: affirmatne Aquinas absolute, animam rationalem Virginis esse creatam atque in corpus infusam sine sanctificationis gratia aut peccato originis obnoxiam? Nequaquam: sed profitetur *carnem* Virginis conceptam esse in originali peccato, aut etiam *corpus* B. Virginis conceptum in originali fuisse. Ergo peccati originalis subiectum, secundum Aquinatem, est *corpus* aut *caro* nondum animata rationalis anima: atque idcirco sententia Aquinatis non opponitur catholicae sententiae, qua definitur Virginis *animam* non fuisse peccato originali obnoxiam primo suae existentiae instanti.

14. At, inquies, non est silentio obvolvendum illud testimonium, in quo non caro aut corpus Virginis peccato obnoxium esse perhibetur, sed absolute dicitur: « Beata Virgo in peccato originali fuit concepta. »

Commode id obiicitur; ex huius enim testimonii dilucida interpretatione alia sane, quae imperitis nonnihil negotii facessere videntur, quavis difficultate carere videbuntur.

Et in primis obiicientem iure meritoque redarguo inquiens: qua veritatis specie Aquinatis verba obtrudis? Aquinas enim dum hisce vocabulis — conceptione — concepta — et similibus utitur, animationem nequaquam indicat (si de Christi conceptione non sit sermo); sed semper id exprimit quod animationem *tempore* praecedit. Ergo dum profitetur Virginem esse in originali culpa *conceptam,* perinde est ac si dicat, Virginem, *antequam eius anima crearetur corporique informando infunderetur,* in fetus inanimati conceptione origini peccato obnoxiam fuisse. Quae locutio pervulgata sane fuit apud veteres doctores, cum investigabant an Virgo fuerit peccato obnoxia in suis parentibus immediatis, an in Adamo, an ante animationem. Sed praestat obiecti testimonii interpretationem audire, quae habetur evidentissima apud ipsum Aquinatem, eodem articulo ex quo illud testimonium est depromptum.

Quid enim quaerit sanctus Doctor III. Dist. III. qu. 1, art. 1 quaestiuncula 1? Num B. Virgo in primo animationis instanti fuerit peccato originis subiecta? Absit! sed investigat num in prima seminis *conceptione* fuerit peccati expers, investigaturus in secunda quaestiuncula num saltem fuerit *ante animationem*, et in tertia, num *ante nativitatem* ex utero. Ergo rerum tractandarum ordo nos edocet, subiectum peccati originalis non esse, secundum Aquinatis allatum testimonium, *personam*, sed id quod principiorum seminalium unione concipitur et nondum est rationali anima praeditum.

Quid, quod ad solvendam primam alteramque quaestiunculam tale argumentum adhibet, quod nullum dubitandi locum dare potest? « Sicut dicit Dionysius, sanctitas est ab omni immunditia libera et perfecta et immaculata munditia: unde cum sanctificari sit sanctum fieri, oportet quod sanctificatio emundationem ab immunditia spirituali ponat, prouti nunc de sanctificatione loquimur. Emundatio autem a spirituali macula, scilicet culpa, sine gratia esse non potest, sicut et tenebra nonnisi per lucem fugatur: unde sanctificatio tantum ad eos pertinet, qui gratiae capaces sunt: et quia proprium subiectum gratiae est rationalis natura, ideo *ante* infusionem animae rationalis Beata Virgo sanctificari non potuit. » Continuo ostendit modum generationis, quo Virgo fuit ab immediatis parentibus genita, *per se* talem fuisse, ut transmitti culpa originalis debuisset, atque idcirco concludit: « Ideo Beata Virgo in peccato originali fuit *concepta.* » Ex qua Aquinatis solutione quatuor infero. Primum est, sermonem esse de Virgine prouti considerari potest in concepto semine *ante* animationem; secundum, ita a parentibus fuisse genitam, ut ad eam pervenire debuisset originis peccatum; tertium, peccatum originis secundum Aquinatis sententiam aliquo modo fuisse in conceptione fetus inanimati; quartum, non potuisse auferri hoc peccatum ab eodem inanimato conceptu, eo quod peccatum nonnisi gratia aufertur, cuius *incapax* est conceptus ante animationem. In comperto itaque est subiectum originalis peccati secundum enunciata testimonia non fuisse Virginis *personam,* sed conceptum anima rationali minime informatum; secundum autem catholicam fidei definitionem subiectum a peccato praeservatum et gratia sanctificante praeditum fuisse Virginis personam; et propterea hac de re nullam inter Aquinatis doctrinam et fidei dogma realem oppositionem posse excogitari.

15. c) Tertio denique aiebam rationem peccati originalis, cui in sui prima couceptione fuit secundum Aquinatem obnoxia Virgo Deipara, esse penitus ab ea diversam quae in catholica doctrina esse perhibetur. Illico atque aperte dicam, peccatum originis, cui fuit in fetus conceptione obnoxia Virgo *ante* animationem secundum Aquinatem, esse *instrumentaliter* quia veluti *in causa instrumentali* est accipiendum; peccatum originis, de quo pontificia definitio loquitur, et a quo in primo creationis suae instanti fuit praeservata Deipara,

alius autem naturae. Secundum autem ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium, quia totam humanam naturam *simul* sibi Verbum Dei univit. Ordo autem naturae inter aliqua potest attendi dupliciter: uno modo secundum gradum dignitatis; alio modo secundum rationem causalitatis. Sic ergo si attendamus gradum dignitatis anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc potest dici quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Sed et secundum ordinem causalitatis ipsa anima est *aliqualiter* causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana » III. 6, 1. Hinc in seq. art. 3: « Non enim anima est assumptibilis secundum congruitatem, nisi per hoc quod est capax Dei, ad imaginem ejus existens, quod est secundum mentem, quae spiritus dicitur. » —

(1) Id etiam in multis miraculis luculenter apparet. Uno instanti quis e febri convalescit, aut visum recuperat propter efficaciam virtutis, quae *praeter rerum vires* operatur, cum secus adhibitis naturalibus agentibus idem effectus quidem obtineri potuisset, sed nonnisi post temporis longum intervallum.

sumendum esse *formaliter* et *in se*; atque idcirco ratio peccati originalis in catholica doctrina est *propria*, secundum Aquinatem est *impropria*, quemadmodum ratio hominis prouti homo consideratur in semine aut fetu inanimato est impropria, est autem propria prouti consideratur in hominis persona ad existentiam perducta.

Ut autem mentem Aquinatis omnino teneas, accipe quae protulit Quaest. de Malo (IV. de pecc. orig. art. 3), « Ad huius quaestionis intelligentiam duas distinctiones considerare oportet. Primo quidem quod aliquid dupliciter dicitur esse in aliquo: uno modo sicut *in proprio subiecto*, alio modo sicut *in causa*. Proprium autem subiectum alicuius accidentis coaequatur ipsi accidenti; puta si volumus considerare proprium subiectum felicitatis et virtutis, cum felicitas et virtus sit propria hominis, proprium subiectum utriusque erit id quod est proprium hominis, scilicet pars animae rationalis, ut Philosophus probat (I. Eth. 7). Causa autem est duplex, scilicet instrumentalis et principalis. In principali quidem causa est aliquid secundum similitudinem formae, vel eiusdem speciei, si sit causa univoca, vel secundum aliquam excellentiorem formam, si sit agens non univocum. In causa autem instrumentali est aliquis effectus secundum virtutem (i. e. instrumentaliter), quam recipit instrumentum a causa principali, in quantum movetur ab ea. Aliter enim est forma domus in lapidibus et lignis tamquam in proprio subiecto (i. e. formaliter); et aliter in anima artificis, tamquam in causa principali; et aliter in serra et securi tamquam in causa instrumentali. Manifestum est autem quod esse susceptivum peccati est proprium hominis. Unde oportet quod proprium subiectum peccati cuiuscumque sit id quod est proprium hominis, scilicet anima rationalis, secundum quam homo est homo; et sic peccatum originale est in anima rationali sicut in proprio subiecto (i. e. formaliter). Semen autem carnale sicut est instrumentalis causa traductionis humanae naturae in prolem, ita est instrumentalis causa traductionis peccati originalis; et ita peccatum originale est in carne, id est in carnali semine sicut in causa instrumentali (i. e. instrumentaliter). Secundo considerandum est, quod duplex est ordo, scilicet *naturae et temporis*. Ordine quidem naturae perfectum est prius imperfecto, et actus potentia; ordine vero generationis et temporis e converso imperfectum est prius perfecto, et potentia actu. Sic ergo in ordine naturae per prius est peccatum originale in anima, in qua est sicut in proprio subiecto, quam in carne in qua est sicut in causa instrumentali; *sed in carne est per prius ordine generationis et temporis.* » En tibi sincera Aquinatis doctrina. Tria originalis peccati subiecta sunt omnino et admittenda et distinguenda. Primum est causa principalis (Adam). Alterum est causa instrumentalis, in quo peccatum originis est *instrumentaliter*, quae causa est virile semen, et proinde conceptus fetus usque ad animationem. Tertium est proprium subiectum seu rationalis anima, in qua formaliter idem peccatum est. Cum autem inter fetus conceptionem et personae conceptionem sit, secundum Angelicum Doctorem, aliqua temporis intercapedo, pronum est inferre illud quod Aquinas profitetur, scilicet *prius* tempore esse peccatum originale improprie et instrumentaliter in semine ac fetu, quam proprie et formaliter in anima, si haec eidem peccato subiiciatur.

16. At quo iure consiliove fetum inanimatum aut virile semen subiectum esse, in quo *instrumentaliter* originale peccatum inest, affirmat? Audi Aquinatem (l. c. ad 1): « Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec est (sc. immunditia) a se, nec a Deo, *sed ex unione ad carnem;* sic enim fit pars humanae naturae derivatae ab Adam, » quod perbelle etiam I. II. 83, art. 1 ad 4, ostendit.

17. At omnino, dices, a virili semine et fetu inanimato arcendum est originale peccatum. Etenim si in eisdem foret originale peccatum sicut in causa, magis in ipsis foret quam in rationali anima; quandoquidem pervetustum adagium fert, effectum potiore ratione in causa quam in semetipso esse. Ita ne? Audi quid huic obiectioni reponat Aquinas (ad 5): « Nobilius est aliquid in causa *principali* quam in effectu; non autem in causa *instrumentali:* sic autem est et humana natura per peccatum originale in carnali semine. Unde sicut humana natura non est verius in semine quam in corpore illo organizato, ita neque peccatum originale est verius in carne quam in anima. » Perpulcra comparatio!

18. Quid, quod haec originalis peccati praeexistentia in virili semine concepto seu in fetu inanimi pervulgata erat apud veteres, atque in hac doctrina tamquam in proprio fundamento sententiam catholicam de transmissione peccati originalis collocabant? Anselmum audiamus: « Videtur (cap. 7 de Conc. Virg.) itaque sequi, quod aut infans statim ab ipsa conceptione animam habet rationalem, sine qua voluntatem rationalem nequit habere; aut in eo non est originale peccatum *mox cum conceptus est*. Quod autem mox ab ipsa conceptione rationalem animam habeat, nullus humanus suscipit sensus. Sed si non statim infans ab ipsa conceptione habet peccatum, quid est, quod dicit Iob Deo: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Et quomodo verum est quod dicit David: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea?* Quaeram igitur si possum, quomodo, quamvis non statim ab ipsa conceptione sit in infantibus peccatum, immundo tamen semine in iniquitatibus et in peccatis concipi dicantur. Saepe utique divina Scriptura asserit aliquid esse, quod modo non est, idcirco quia tamen est futurum esse... Sicut in Adam omnes peccavimus quando ille peccavit: non quia tunc peccavimus ipsi, qui nondum eramus: sed quia de illo futuri eramus: et tunc facta est illa necessitas, ut cum essemus peccaremus: quoniam *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*. Simili modo de immundo semine in iniquitatibus et in peccatis concipi potest homo intelligi; non quod in semine sit immunditia peccati aut peccatum sive iniquitas; sed quia ab ipso semine et ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam, quae non est aliud quam peccatum et iniquitas. »

Perplacet etiam Petri Lombardi testimonium afferre, tum quia Aquinas doctrinam eius in suis commentariis expressit atque explanavit, tum quia

et ipse quod in rem nostram maxime confert mira perspicuitate pertractat. Definierat Sententiarum Magister (II. Dist. 31), in fetus prima conceptione transmitti peccatum originale, quod ut explanet ait: « Sed ad hoc opponitur hoc modo. In ipso conceptu ubi dicitur transmitti peccatum, propagatur caro, nec tamen infunditur anima secundum physicen, sed iam effigiatis corporibus: quod etiam Moyses in Exod. c. 21 aperte significat, ubi ait de percussura mulieris praegnantis. — Si quis, inquit, percusserit mulierem praegnantem et abortum fecerit, si adhuc informe fuerit puerperium, mulctabitur; si autem formatum fuerit, reddat *anima pro anima*. — Formatum vero intelligitur, propria anima animatum; et informe quod nondum habet animam. In ipso ergo conceptu cum caro propagatur, *nondum* infunditur anima. Quomodo ergo ibi peccatum transmittitur cum peccatum non possit esse, ubi anima non est? Ad quod dici potest, quia in illo conceptu dicitur, peccatum transmitti, non quia peccatum originale *ibi sit*, sed quia caro *ibi contrahit id, ex quo* peccatum fit in anima cum infunditur. »

Perinde est ac Anselmus et Petrus Lombardus dicant: In conceptione fetus peccatum nec est nec esse potest *proprie* et formaliter, eo quod in eadem conceptione anima rationalis esse nequit, atque ideo est in ea *improprie* seu instrumentaliter, in anima autem rationali *proprie* et formaliter est, cum eidem est obnoxia. Sed iam ad illationem inferendam veniamus. Itaque talis est originalis peccati ratio, quam admittit Aquinas esse in Virginis conceptione, qualis esse potest in semine concepto et *nondum* animato, hoc enim (ut ostendimus alibi n. 12) peccato originali subiicit. Sed enim in hoc ea ratio sita est ut peccatum originale non idem fetui *proprie* et formaliter insit, sed *improprie* seu *instrumentaliter;* non tamquam *in subiecto* proprio, sed tamquam *in causa instrumentali*. Quocirca Aquinas in Virginis conceptione affirmat esse peccatum *improprie* seu instrumentaliter, at nequaquam *proprie* et formaliter: ut in causa instrumentali, non autem ut in subiecto proprio. Etenim subiectum proprium originalis peccati est secundum Aquinatem rationalis anima, qua caret fetus in sui conceptione (1).

Verum quaenam est peccati originalis ratio secundum catholicam definitionem, qua praedicatur ab eodem immunis Deipara? Citra omnem dubitationem peccatum sumitur secundum rationem formalem, non autem secundum rationem instrumentalem, arcetur enim peccatum ab anima rationali Virginis *in primo suae creationis et infusionis instanti* (Sect. I. n. 2). Iamvero si peccatum in anima rationali extitisset, a quo secundum fidem immunis fuit, eidem non ut causae instrumentali, sed ut proprio subiecto; atque ideo non *improprie* seu instrumentaliter, sed *proprie* et formaliter adhaesisset. Ergo ratio peccati originis, ad quam respicit Aquinas, cum de Virgine sermonem instituit, penitus differt a ratione, quae in catholica definitione exhibetur.

19. Lectorem obsecro, ut in mentem primum argumentum revocet, cuius minor propositio membrorum, quibus constat, singulorum probatione erat nobis demonstranda. Nonne id praestitimus? Sane! et ita quidem, ni mea me fallit opinio, solide, ut dubitationi nullus locus amplius relinquatur. Ergo iure meritoque affirmamus in allatis Aquinatis testimoniis, quibus Deiparam in eius conceptione subiicit originali peccato, 1) vocabulo conceptionis aliam esse secundum Aquinatem significationem ab ea quae inest catholicae definitioni: 2) aliud esse secundum Aquinatem peccati originalis subiectum, quam illud quod ab eodem in pontificio oraculo declaratur immune: 3) diversam penitus esse peccati originalis rationem secundum Aquinatem ab ea quae in dogmate catholico esse perhibetur. Quam ob rem conclusio omni veritate evidentiaque praedita est: nullam interesse inter Aquinatem et catholicum dogma rerum sententiarumque oppositionem, licet verborum sit aperta pugna.

SECTIO IV.

Nulla realis Aquinatem inter et catholicam doctrinam oppositio existit quod attinet ad primam Deiparae sanctificationem.

20. Pluribus in locis affirmat Aquinas, Virginem in matris utero fuisse sanctificatam. Exemplo sit III. Dist. III. q. 1, art. 1, qu. 3: « Plus gratiae collatum est Beatae Virgini quam alicui Sanctorum, ut in litera ex verbis Augustini (de Nat. et Gr. c. 26) dicitur. Ergo Beata Virgo adhuc in utero matris Spiritu Sancto repleta fuit: ergo et sanctificata. » At inquiet adversarius: estne in utero sanctificata? profecto! Ergo fuit instans in quo sanctificationem nondum acceperat. Ergo instans fuit, in quo erat in Virginis anima gratiae sanctificantis privatio, atque ideo originale peccatum *proprie* et *formaliter* sumptum. Quocirca Aquinatis sententia, dicentis Virginem esse sanctificatam, directe opponitur catholicae doctrinae, quae duplex instans distingui non patitur, quasi in primo gratia caruerit, in altero autem ea Virginis *anima* potita sit. Propterea Romani Pontifices illis adversati sunt qui sanctificatam Virginem fuisse dixerunt, potius quam in sui creatione immaculatam ac sanctam.

21. Ita ne? Quis non videat huiuscemodi argumentationem plus speciei quam veritatis habere, ac logicae legibus omnino opponi? Ut id in comperto cuique sit, accuratam disquisitionem aggrediamur.

Et primo quidem nefas est inferre ex vocabulo *sanctificata* Virginem fuisse secundum Angelicum Doctorem revera peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto inquinatam (de quo sermo est in catholico dogmate), si vel ex vocabuli insita potestate, aut saltem ex usu quo ab Angelico Doctore adhibetur, non videatur huiusmodi interpretatio eidem vocabulo tribuenda. At enim neque ex vocabuli insita potestate, neque ex usu quo ab Angelico Doctore adhibetur est haec eidem interpretatio ascribenda. Verbi *sanctifico* rationem

(1) Lector, cui modo perspecta est duplex peccati originalis ratio, instrumentalis nempe et formalis, facile dignoscet quo sensu Aquinas (Sect. II.) affirmaverit B. Virginem esse immunem ab originali peccato. Scilicet non a peccato originali in concepto semine *improprie* seu *instrumentaliter* existente; huic enim B. Virginem subiecit, ne eamdem debito reali (Sect. V.) contrahendi peccatum originale formaliter sumptum liberaret, et minime redemptionis indigam faceret, sed ipsam a peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto immunem praedicavit.

delegemus. Quid significat *sanctum efficio*? Porro quod est *essentia* propria sanctum, *effici* sanctum omnino potest; quapropter sanctificatio *proprie* ei convenit, cui *praeter essentiam* sanctitas inest. Igitur quaelibet creata intelligentia atque anima rationalis, cum *essentialiter* sancta minime sit, sanctificari dicitur, etsi *primo creationis instanti* gratia sanctificante ornetur. Ergo ex vocabuli insita potestate sanctificatio non indicat extitisse *tempus*, quo id quod sanctificatum esse perhibetur fuerit peccato obnoxium.

Neque minus antecedens tempus indicat *assumptio* quam *sanctificatio*. Quis autem inficiatur Verbum *assumpsisse* humanam carnem? Attamen nullum fuit instans in quo Christi humanitas sibi relicta extiterit: eodem instanti quo coepit existere, fuit etiam assumpta.

Sed quid moror? Dicesne *sanctificationis vocabulum* omnino sua natura *connotare*, ut aiunt scholastici, peccatum antecedens, si Christum ipsum impollutum, sanctum, a peccatoribus segregatum, Dei Filium atque adeo Deum audieris loquentem: Quem Pater *sanctificavit* et misit in mundum (1)? • Vocabuli ergo virtute niti minime potes, ut Aquinatem privilegio Virginis infensum ostendas, quemadmodum illi extitere quos *sanctificationis* vocabulo *abutentes* Romana sedes iure meritoque redarguit.

22. Non ex usu quo ab Aquinate idem vocabulum est adhibitum? Profecto! Aquinatem ipsum suismet verbis disserentem audiamus. De Christi *sanctificatione* ita loquitur (III. 7, q. 2). • Ad gratiam operantem per se pertinet facere iustum: sed quod iustum faciat ex impio, hoc *accidit* ei ex parte subiecti in quo peccatum invenitur. Anima Christi igitur *iustificata* est per gratiam operantem, in quantum per eam *facta* est iusta et sancta a principio suae conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut etiam non iusta. •

Verum etiam dum loquitur (III. 27, 3) de duplici Beatae Virginis sanctificatione (quam *purgationem* nuncupat), qua fuit sanctificata in utero matris et in Christi conceptione, hanc sibi difficultatem enodandam obiicit: • Praeterea Damascenus dicit L. III. orth. fid. c. 2, quod — in B. Virginem supervenit Spiritus Sanctus, *purgans* eam ante conceptionem Filii Dei — *quod non potest intelligi nisi de purgatione a fomite:* nam peccatum non fecit, ut Augustinus dicit in lib. de Natura et Gratia cap. 36, ante med. Ergo *per sanctificationem in utero* non fuit libere mundata a fomite. • Porro huic difficultati ita Sanctus Doctor occurrit: • Spiritus Sanctus in Beata Virgine duplicem purgationem fecit: unam quidem praeparatoriam ad Christi conceptionem, *quae non fuit ab aliqua impuritate culpae* vel fomitis, sed mentem eius magis in unum sustollens. Nam et angeli purgari dicuntur, — in quibus nulla impuritas invenitur, — ut Dionysius dicit 6 cap. Eccl. Hierar. Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus, mediante conceptione Christi, quae fuit opus Spiritus Sancti. Et secundum hoc potest dici quod purgavit eam totaliter a fomite. • Quaenam est secundum Aquinatem culpae *impuritas?* Dubio procul *ratio formalis* culpae, qua Virginis anima impura certe non fuit, etsi nondum a Spiritu Sancto gratia repleta. Ergo, si disserendi rationem qua utitur Aquinas rite perpendamus, affirmare haudquaquam possumus τὸ *sanctificatam* innuere instans temporis, in quo fuerit Virgo culpae originali *formaliter* sumptae subiecta.

23. Sed instabis. Esto: si Aquinas sanctificatam fuisse Deiparam solum affirmat, quid si profitetur fuisse sanctificatam *post* animationem? Aperta autem est hac de re Aquinatis sententia. Postquam enim probavit non fuisse sanctificatam ante animationem ait: • Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit *post* animationem. • (III. 27, 2). Ergo Aquinas vocabulum — *sanctificatam* — adhibet ea significatione quam Romana Sedes proscripsit.

Huic difficultati triplex dari potest responsio. Primam nobis suppeditat cl. Card. Sfrondati (opusc. Innoc. Vind.), atque alii qui eius sententiam sequuntur, qui haec verba, • unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post animationem • supposititia esse arbitrantur. Verum cum ab initio huius tractationis decreverimus omnia testimonia quae in vulgatis Aquinatis editionibus reperiuntur amplecti, hanc solutionem praetermissam volumus.

Alteram probabilem sane exhibet cl. Aquinatis explanator a Porrecta, qua tota corruit difficultas. Hanc suis verbis referre placet. Sic itaque obiectum testimonium explicat.

• Conclusio 3. Sanctificatio B. Virginis fuit • post animationem.

• Prob. Quia eius sanctificatio non fuit ante animationem: ut patet ex praemissis conclusionibus.

• Quamvis iuxta corticem literae probatio haec nihil valere, seu concludere videatur, tamen si ad intellectum eiusdem literae penetremus, contrarium esse dicendum constat.

• Cortex sane literae nihil probat, quum ex eo quod sanctificatio non fuit ante animationem non sequitur necessario quod sit post animationem. Nam medium, scilicet instans ipsius animationis, datur inter duo extrema haec, idest inter ly *ante* et ly *post*. In hoc ergo medio potuit esse talis sanctificatio, praesertim cum gratia, sive praesupponat peccatum expellendum sive non, infundatur in instanti (I. II. 113, 7): cuius tamen medii videtur oblitus D. Thomas, dum praedictam sequelam invalidam pro valida in gratia probandae huius conclusionis tertiae praesupponit in textu ly: *unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.*

• Ad hoc respondetur quod probatio illa, seu consequentia, et probat et optime probat intentum. Nec obstant huic quod detur illud medium: quoniam inclusum est hoc medium in consequente, seu in conclusione, dicendo ly *post*. Nam ly *post* denotat hic duo, scilicet ordinem temporis (quod patet) et ordinem naturae (quod quasi latet). Sic enim posse dupliciter accipi ly *post* Philosophus in post praedicamentis (cap. de priori) docuit per hoc, quod ibi ostendit, eius correlationem scilicet *prius* dici duobus modis, videlicet prius natura et prius tempore. Utroque autem modo, ut dicebatur, sumitur hic, ac si dixisset textus sic: unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem natura

(1) Ioan. 10, 36.

vel tempore, idest posterioritate *vel* naturae *vel* temporis. Quid vero sit posterioritas naturae vel temporis patet ibid. per Philos. in eius correlativo scilicet *prius*, quoniam prioritas naturae est, quando aliquid intelligitur secundum naturam suam esse prius alio, etiam quod secundum tempus ambo essent simul; prioritas autem temporis est, quando aliquid non tantum secundum naturam suam intelligitur esse prius alio, sed et in rei veritate praecedit illud secundum tempus. Sic ergo a simili de posterioritate dicas.

« Exempli causa in proposito. Sanctificatio post animationem posterioritate naturae facta est, si in eodem instanti temporis quo animatum est illud corpus facta fuit. Tunc enim intelligeretur quidem, animam prius advenisse corpori (maxime cum neque anima sit antequam infundatur ei, neque persona B. Virginis sit antequam anima coniungatur corpori), postea vero ipsam fuisse sanctificatam; sed tamen utraque, scilicet infusio animae in corpus et sanctificatio, idest infusio gratiae in animam, fuisset simul tempore, imo in eodem instanti temporis. Item: sanctificatio post animationem posterioritate temporis facta est, si inter adventum animae in corpus ideoque constitutionem personae B. Virginis, et inter infusionem gratiae sanctificationis fuit aliquod tempus medium. »

« Vides ergo, quod quocumque istorum modorum post animationem facta sit sanctificatio, tunc verificatur, quod Beata Virgo fuit sanctificata: quod tamen verificari non posset, si ante animationem sanctificari poneretur. Unde et conclusio prima dixit, quod sanctificatio Beatae Virginis non potest intelligi fuisse ante animationem. Tum enim nondum erat Beata Virgo, seu persona eius, licet esset embrio ille seu fetus, caro et corpus, ad cuius coniunctionem actualem cum anima rationali tum primo statim secuta est personalitas B. Virginis. »

« Nota: pro firmandis praedictis de ly *post animationem*, adverte, quod S. Doctor se habere ibi talem mentem monstravit ex eo quod aperte declaravit in 3. sent. (III. 1. 1), se cognoscere, quod inter extrema haec, scilicet ante animationem et post animationem, datur medium, scilicet instans animationis. Per hoc enim manifestavit se scire, praedictam consequentiam sic tantum literaliter iacentem (ut praefertur) non esse validam, et per consequens probationem conclusionis tertiae nihil concludere; ideoque conclusionem ipsam, pro quanto ex illa probatione pendet, reddi infirmam. Quae tamen omnia cum valida et firma hoc in loco esse voluerit, necessarium omnino est dicere, quod ipsum Doctorem sanctum et intendisse et ab aliis intelligi voluisse, praemissum sensum circa ly *post*: sic quod accipitur hic utroque modo, idest et ut dicit posterioritatem temporis, et ut dicit posterioritatem solum naturae, ut supra declaratum est. »

Quam ob rem ex obiecti testimonii contextu patet nullo iure nos posse ita coarctari significationem *post*, ut designatam esse dicamus *posterioritatem temporis*. Ergo difficultas tota quanta est corruit. Non enim ex hoc testimonio constat Aquinatem ita adhibuisse vocabulum sanctificationis, quod attinet ad Dei Matrem, ut indicet eiusdem sanctificationem praesupposuisse originale peccatum formaliter sumptum, quod a Sede Apostolica iure merito fuit proscriptum. Sed ad tertiam propositae difficultatis solutionem venio.

Itaque dico: si logica inferendi vis attendatur, illud *post* quod sequitur demonstrationem ab Aquinate relatam, qua ostendebat Deiparam non fuisse sanctificatam ante animationem, profecto significationem praesefert indeterminatam *vel* secundum posterioritatem naturae, *vel* secundum posterioritatem temporis. Hac in re cl. explanatori assentior. Verum si praeterea ex Aquinate sciscitari velimus, quanam significatione idem *post* usurpet, abstractione facta ab eadem inferendi logica vi, dubio procul affirmaret, ea significatione se illud *post* usurpare quae unam designat naturae posterioritatem. Quandoquidem et explicite et implicite (Sect. II.) docuit Deiparam a peccato originali formaliter sumpto fuisse immunem. Si secus dicamus, Aquinatem in turpem contradictionem lapsum fuisse sine ullo prorsus iure asseverabimus.

SECTIO V.

Praeter ius ea Aquinati de Virginis redemptione adscribitur doctrina quae cum sententia catholica minime componi potest.

24. Illud etiam nobis pertractandum est quod ad B. Virginis Mariae redemptionem attinet. Qua in re Aquinatis sententiam catholicae doctrinae oppositam esse demonstrari nequaquam posse arbitror. Secundum catholicam doctrinam Virgo redempta dici debet, atque adeo praestantiori redemptione, utpote ab incurrenda culpa, cuius anima in primo creationis instanti fuit praeservata. Verum affirmat ne Aquinas Beatam Virginem minime esse redemptam ? Huiusmodi opinio nullius in mentem obrepere potuit; centies enim Angelicus Doctor Virginem redemptam esse a Christo profitetur. Potius plurimos invenio dicentes Aquinatem originali peccato subiecisse Virginem, eo quod fuit redempta. Ita ne? Ergo Aquinatis argumentatio ad hoc enthymema revocaretur: Beata Virgo fuit a Christo redempta: ergo eius anima in primo creationis instanti ab originali culpa praeservari haud potuit. Cum autem haec illatio omnino falsa sit, dicendus est legum quae logicam inferendi vim definiunt fuisse Aquinas immemor. Non ita, inquies, sed illam redemptionem qua quis a debito incurrendi culpam eximitur, quamquam praestantiorem, omnino videtur ignorasse. Tanta ne inscitia in Doctore Angelico esse potuit ?

25. Non facile id sibi persuaserit qui haec apud Aquinatem legerit. « Hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur (sc. in fetus inanimati conceptione non subiiciatur originali peccato instrumentaliter sumpto) praeter Christum; quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quae facta est per Christum; et sic Christus non esset omnium hominum Redemptor. Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis ut sine peccato conciperentur; quia illa gratia facta est parentibus, ut in eis vitium naturae sanaretur, quo manente sine originali peccato generare non possent, vel ipsi naturae quae

sanata est. Oportet autem ponere quod quilibet *personaliter* redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae. Liberari autem a malo vel a debito absolvi non potest nisi qui debitum incurrit, vel in malum deiectus fuit: et ita non possent omnes fructum dominicae redemptionis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur, et malo subiecti; unde dimissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito, vel immunis a malo nascatur (IV. Dist. 43. 1, art. 3, ad 3). » Quamquam huius testimonii vim sis facile percepturus, post ea quae de transmissione originalis peccati subdam; tamen ad propositum pertinet hic animadvertere a) difficultatem, cui allata responsione satisfacit Aquinas, eo spectare ut esse dicatur homo non solum liber futurus a peccato originali, sed etiam a debito idem peccatum contrahendi: b) secundum loquendi rationem, qua utitur Aquinas, duplicem esse secernendam nativitatem, aliam in utero, quae proprie est conceptio personae aut animalis, aliam ex utero, de quibus egit in praecedenti distinctione (et non raro alibi); neque fas esse ita nos interpretari Aquinatem, ut dicamus eum subiecisse omnes homines post nativitatem ex utero vel peccato originali vel debito hoc contrahendi, sed potius omnes homines subiecisse vel peccato vel debito in prima nativitate quae in utero fit. Aiebam illud primum nos dicere non posse, quia nemo, secundum Aquinatem, nascitur ex utero cum solo debito contrahendi peccatum originale, plures autem secundum sanctum Doctorem ex utero sine originali peccato nati sunt. Ceterum satis clare ex hoc testimonio patet Angelicum Doctorem non ignorasse eam redemptionem, quae a debito contrahendi originale peccatum fieri posse concipitur.

At enim non modo, ut ex allato testimonio constat, nota erat Aquinati huiuscemodi redemptio a debito incurrendi culpam, sed dubio procul ipsam etiam arbitrabatur praestantiorem esse ea qua quis a patrata culpa solvitur. Nonne enim is est Aquinas, qui talia profert (I. quaest. 20, 4)? « Sive sint innocentes sive poenitentes, illi sunt meliores et magis dilecti qui plus habent de gratia: ceteris tamen paribus innocentia *dignior* est et *magis dilecta.* » Ergo *dignior* magisque *a Deo dilecta* Virgo extitisset, si ea redemptione fuisset redempta quae a peccato incurrendo immunem praeservat.

Etiam Card. Caietanus arbitratur Aquinatem cognovisse redemptionem ex debito. In tractatu enim de Conc. B. Virg. c. III. ait: « Dicitur captivus non solum qui totaliter in captivitatem est redactus, sed qui coepit in sua aliqua parte duci in captivitatem, et obnoxius est captivitati. Et similiter dicitur mors peccati non solum ipsa actualis mors, sed debitum et initium in propria persona habendi illam. Et similiter dicitur a peccato originali mundatus non solum qui contracta actuali macula mundatus est, sed qui a macula quidem in debito et initio in propria persona fundato mundatus est. Nec potest quisquam dicere de mea haec phantasia me proferre; sed videatur D. Thomas in I. II. quaest. 81, art. 3 sustinens, quod per mortem sufficit intelligere debitum seu reatum in propria persona mortis, quamvis nunquam actualiter quis moreretur. » Et haec profert Card. Caietanus ubi ostendit Deiparam redemptionis fuisse omnino indigam etiam in eorum sententia, qui profitebantur uni debito contrahendi originale peccatum extitisse obnoxiam.

Accedit et cl. a Porrecta in explan. III. 6 Sum. quaest. 27, art. 2: « Scire oportet, quod illud de fide creditum, scilicet quod omnium hominum Christus est Salvator a peccatis eorum, intelligigitur duobus modis. Et quicumque istorum modorum de aliquo homine verificatur, salvatur fides illa. Primus itaque modus est; quod alicuius iam sub peccato actualiter existentis sit Salvator, id est de facto extrahens eum ex illo peccato. Secundus autem est, quod alicuius in periculo cadendi in peccatum existentis sit Salvator, id est de facto retinens eum ne cadat in peccatum illud. Hos duos modos salvandi homines novit D. Thomas Ecclesiae Sanctae Doctor eximius, ut ipse post D. Augustinum in I. II. quaest. 106, art. 2 manifestat... Per necessariam ergo sequelam patet B. Thomam novisse hoc, scilicet quod Beata Virgo, etiamsi nunquam actualiter incurrisset maculam originalis culpae, indiguisset redimi per Christum a peccato, et consequenter non tolleretur propter hoc a Christo suum privilegium, scilicet quod sit Salvator omnium hominum. Salvasset enim etiam tunc Matrem suam a culpa originali, in quam utique de facto cecidisset, si ipse eam a casu tali non praeservasset. »

26. Hisce positis insto, quo iure illa enthymematis illatio Aquinati adscribitur? Num vel semel affirmat absolute (nempe semotis omnibus orationis temperamentis, quae sententiam coarctare solent) Virginem, in primo instanti quo anima eius fuit e nihilo educta et in corpus infusa, subiacuisse culpae originali? Nequaquam. Sed eius affirmatio his terminis continetur: « Quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione (III. 27, 2). » Itaque secundum Aquinatem, ut Virgo dicatur sitque redempta, dici non potest ab originis peccato immunis « quocumque modo ante animationem, » sed *ante* animationem eidem subiacuisse est dicenda. Quam ob causam? Si penitus Aquinatis mentem rimari velimus, dicendum videtur esse: quia secus debito reali contrahendi originalem culpam in primo creationis instanti Virginis anima non subiacuisset.

Et re quidem vera debitum *reale* quo obstringebatur Virgo ad peccatum originis formaliter sumptum contrahendum in prima animae creatione, ni fallor, secundum Aquinatem in hoc erat situm, quod peccatum originis erat in semine et in fetu inanimi ex quo effectum fuit Virginis corpus, contentum tamquam in causa instrumentali. Quapropter, nisi Deus praetergrediens consuetum generationis ordinem singulari privilegio creasset animam Virginis immaculatam et sanctam, eo ipso quod copulata fuisset fetui, qui ad originis culpam formaliter sumptam *praeseferebat ordinem,* huic culpae Virginis anima in prima sua existentia fuisset obnoxia. In fetu autem inanimi instrumentaliter peccatum originis erat contentum, non propter additionis alicuius pravae *entitatis,* aut propter gratiae sanctificantis privationem, sed vi ipsius generationis ex immediatis parentibus atque ex Adamo.

Ad haec probe intelligenda expedit in medium afferre Aquinatis doctrinam de originalis peccati *transmissione*, quam perperam plures interpretantur. « Omnes homines, ait Aquinas (I. II. 81, 1), qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura quam a primo parente accipiunt; secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, et tota communitas quasi unus homo; sicut etiam Porphyrius dicit cap. de specie circ. med., quod *participatione speciei plures homines sunt unus homo.* Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum. Unde homicidium quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. Unde peccatum quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur *originale,* sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur *actuale;* et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur *peccatum humanum*: ita peccatum originale non est peccatum huius personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente; unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Ephes. 2. 3: *Eramus natura filii irae...* Etsi anima non traducatur, quia virtus seminis non potest causare animam rationalem, movet tamen ad ipsam *dispositive.* Unde per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio. Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem. » Et etiam (de Malo IV. 6): « Peccatum originale primo considerandum est in Adam ut in quodam principio, a quo derivatur ad omnes qui ab eo moventur. Sicut autem moventur partes unius hominis per imperium voluntatis, ita movetur filius a patre per vim generativam: unde Philosophus dicit in II. Phys., quod pater est causa filii ut movens; et in libro de Generat. animal. dicitur, quod in semine est quaedam motio ab anima patris, quae movet materiam ad formam concepti. Sic ergo huiusmodi motio, quae est per originem a primo parente, derivatur in omnes qui seminaliter ab eo procedunt; unde omnes qui seminaliter ab eo procedunt, contrahunt ab eo originale peccatum. » Ex hac Aquinatis doctrina de peccati originalis transmissione inferre possumus huiuscemodi argumentationem. Non potest abesse a naturali generatione, quae maris feminaeque congressu accidit, motio ab anima patris progrediens, cuius motionis virtute embrio organismum suscipit: atqui originale peccatum, prouti *instrumentaliter* consideratur in semine, in huiuscemodi motione continetur ab immediato parente atque Adamo protoparente derivata: quocirca originale peccatum virtualiter sumptum a semine atque ideo a fetu inanimi in ea generatione quae fit ordine naturae servato abesse nequit. Adest huiusmodi motio ab Adamo iam primitus digressa? Ergo etiam semen ac fetus inanimis, qui hanc habet motionem, praesefert ordinem ad personam humanam peccato originali *formaliter* sumpto subiectam: et propterea debitum reale contrahendi originale peccatum in generatione humana ex peccato originali in semine et in fetu inanimi instrumentaliter existente oritur. Quamobrem est ne redempta Virgo? Dubio procul. Ergo aut fuit obnoxia peccato originali formaliter sumpto, dum primo eius anima creata est et corpori copulata, aut saltem reali debito illud contrahendi fuit obnoxia. Primum dici omnino de Virgine non potest (Sect. 2), cum sit Mater Dei, in qua nihil inquinatum unquam fuisse excogitari potest. Ergo alterum dicendum est; atque idcirco originale peccatum in eius fetu inanimi instrumentaliter contentum fuisse affirmandum est.

Ut autem, hisce rite discussis *ad Aquinatis mentem*, eo revocetur oratio a quo discessit, iterum quaero: Quo iure quis asserere potest Aquinatis doctrinam, quod ad Virginis redemptionem attinet, esse oppositam doctrinae quae oraculo Romanae Sedis est definita? Affirmat Romana Sedes Virginem esse redemptam? affirmat etiam Aquinas. Affirmat Romana Sedes Virginem esse ab originali peccato, singulari privilegio ac meritorum Christi intuitu, praeservatam primo instanti *quo anima eius creata fuit et in corpus infusa?* id minime inficiatur Aquinas, dum profitetur non fuisse praeservatam in conceptione fetus *ante animationem* ab originali peccato in eodem fetu *instrumentaliter* contento, atque idcirco a debito reali contrahendi peccatum originale, formaliter sumptum, non fuisse immunem, eo quod secus Christi redemptione non indiguisset.

SECTIO VI.

Articulus II. Qu. 27, *III. p. Sum. declaratur.*

27. Plurimos sane reperi, qui ex art. cit. doctrina inferre contendunt Aquinatem Deiparae Immaculatae privilegio adversam professum esse sententiam. Verum, ni mea me fallit opinio, id ex eo accidit, quod ad significationem vocabulorum — *conceptionis* et *animationis* — non adverterint, distinctionem inter peccatum originale instrumentaliter sumptum et proprie ac formaliter acceptum non probe tenuerint, nec, prouti par erat, huius articuli scopum ad quem tota eiusdem articuli doctrina referenda est bene perpenderint. Quamobrem arbitror omnes difficultates facili negotio me esse soluturum, si Aquinatis articulo eam subiiciam declarationem qua et vocabula secundum Aquinatis mentem usurpentur, et sententiae secundum eiusdem S. Doctoris doctrinam hactenus enodatam explicentur, et singula ad articuli scopum certo ordine perspicue disponantur.

S. THOMAE TEXTUS.

Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem.

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod Beata Virgo sanctificata fuerit ante animationem, quia, ut dictum est art. praec., plus gratiae est collatum Virgini Matri Dei quam alicui sanctorum. Sed quibusdam videtur esse concessum quod sanctificarentur *ante* animationem, quia, ut dicitur Ierem. 1, 5: « Priusquam te formarem in utero novi te: » *non autem infunditur anima ante corporis formationem*. Similiter etiam de Ioanne Baptista dicit Ambrosius super Luc. cap. 1, sup. illud: « Et Spiritu Sancto replebitur: » quod nondum inerat ei spiritus vitae, et iam inerat ei spiritus gratiae. Ergo multo magis B. Virgo *ante* animationem sanctificari potuit.

2. Praeterea conveniens fuit, sicut Anselmus dicit in lib. de Conceptu virginali cap. 18, parum a princ.: « Ut illa Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi. » Unde et Cant. 4, 7 dicitur: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Sed maior puritas fuisset B. Virginis, si nunquam anima eius fuisset inquinata contagio originalis peccati. Ergo hoc ei praestitum fuit, ut *antequam* animaretur *caro* eius sanctificaretur.

3. Praeterea, sicut dictum est art. praec. non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis. Ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta; et ita quod *ante* animationem fuerit sanctificata.

4. Praeterea, Apostolus dicit Rom. 2, 16: Si radix sancta, et rami. Radix autem filiorum sunt parentes eorum. Potuit ergo B. Virgo sanctificari etiam in suis parentibus, *ante* animationem.

Sed contra est quod ea quae fuerunt in veteri Testamento, sunt figura novi, secundum illud 1 ad Cor. 10, 12: « Omnia in figura contingebant illis. » Sed per sanctificationem tabernaculi, de quo dicitur in Psal. 45, 5: « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus » videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur, secundum illud Ps. 18, 6: « In sole posuit tabernaculum suum. » De tabernaculo autem dicitur Exod. ult. 31: « Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini imple-

DECLARATIO.

Utrum B. Virgo fuerit sancta et a peccato originali munda antequam eius anima esset creata et in corpus infusa.

Videtur ita fuisse, quia 1. Deus aliquibus sanctis hoc privilegium concessit, ut essent sancti et peccato originali mundi, antequam eorum animae essent creatae et in corpus infusae. Atqui Virgini Deiparae non est denegandum ullum privilegium, quod aliis a Deo est concessum. Ergo non est Virgini Deiparae denegandum, quod fuerit sancta atque a peccato originali munda, antequam eius anima esset creata et in corpus infusa.

2. Immunitas ab originali peccato etiam *instrumentaliter* sumpto, antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur, redundat in eiusdem Virginis puritatem. Atqui quidquid in Virginis puritatem redundat, hoc est Virgini concedendum. Ergo immunitas ab originali peccato, etiam *instrumentaliter* sumpto, antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur, est eidem concedenda.

3. Non celebratur festum nisi de sancto. Atqui celebratur festum de Virginis conceptione. Ergo Virginis conceptio est sancta. Atqui conceptio est primus generationis terminus, fitque prius tempore quam anima creetur et in corpus infundatur. Ergo celebratur festum de Virgine, cuius anima nondum est creata et in corpus infusa; et propterea Virgo fuit ab originis peccato munda, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur.

4. E parentibus sanctis non transmittitur peccatum originale in fetum inanimatum. Atqui Virginis parentes sanctitate praediti fuere. Ergo etiam ab eisdem potuit non transmitti peccatum originale in fetum inanimatum. Ergo potuit fetus carere originali peccato, antequam Virginis anima crearetur et in corpus infunderetur.

Sed contra, simili ratione loquendum est de Salomonis templo, ac de Virgine. Atqui Salomonis templum nequivit sanctitate ornari, *antequam* esset. Ergo Virgo Deipara nequivit sanctitate ornari, atque ideo a peccato originali immunis esse, *antequam* corpus fuisset perfectum et anima crearetur et in idem corpus infunderetur (1).

(1) Haec *tantummodo* est conclusio secundum articuli scopum inferenda. Num inde fluit etiam illatio: ergo Virginis anima fuit sanctitate praedita, et ideo originis culpa libera *post* animationem? De hac illatione infra erit agendum. Scite autem Salmeron T. XIII. Lib. II in Ep. B. Pauli ad Romanos Disp. L. ait: « Illud vere quod ex mystico sensu a libro Exodi afferunt, quod operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud *postquam* omnia perfecta sunt, ut prius fuerit Virgo, quam nube Spiritus Sancti sanctificantis operta, parum solidum videtur. Quia... nihil prohibet prius esse quam sanctificatum esse, *sed prius natura, non tempore.* »

vit illud. » Ergo etiam B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet et corpus et anima.

Respondeo dicendum quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi *ante* eius animationem duplici ratione: primo quidem, quia sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali; sanctitas enim est perfecta munditia, ut Dionysius dicit in 12 cap. de divinis Nom. parum a princ. Culpa autem non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Et ideo ante infusionem animae rationalis B. Virgo sanctificata non fuit. Secundo, quia cum sola creatura rationalis sit susceptiva culpae, ante infusionem animae rationalis proles concepta non est culpae obnoxia. Et sic quocumque modo ante animationem Beata Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. 1, 21: « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » Hoc autem inconveniens est, quod Christus non sit Salvator omnium hominum, ut dicitur 1 ad Timoth. 4. Unde relinquitur quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

Respondeo dicendum Virginem Deiparam non fuisse sanctam et a peccato originali mundam, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur.

Et re quidem vera, sanctitas, de qua hic est sermo, est a peccato originali munditia. Porro peccatum originale potest ac debet considerari duplici ratione (n. 15): 1. *formaliter* seu in subiecto *proprio*, quod est anima rationalis; 2. *instrumentaliter*, nempe ut in causa instrumentali, quod est semen conceptum aut inanimis fetus. Quibus definitis, inquam:

a) Non potuit Virgo, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur, dici formaliter sancta et detersa a peccato originali *proprie* et *formaliter* sumpto; quia sanctitatis formaliter sumptae nequit esse subiectum conceptum semen aut fetus inanimis, et quia huic nunquam inesse potuit originale peccatum *proprie* et *formaliter* sumptum.

b) Nec etiam potuit Virgo, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur, dici sancta et munda a peccato originali *instrumentaliter* sumpto; idque propter duas rationes.

Prima ratio haec est. Sola gratia est expultrix peccati (n. 14), ut lux tenebrarum. Ergo ad arcendum peccatum originale a fetu inanimi, in quo *instrumentaliter* continebatur (n. 15), gratia opus fuisset. At enim dicere nequimus semen in conceptione fetus aut ipsum fetum inanimem gratia informari, « cuius subiectum est sola creatura rationalis. »

Ad primum ergo dicendum quod Dominus dicit, ante formationem in utero se Ieremiam novisse, notitia scilicet praedestinationis; sed

Secunda ratio haec est. Si, ante creationem animae, sancta et ab originis culpa munda extitisset Virgo in semine concepto aut in inanimi fetu, qui personae existentiam *praecessit*, in eodem semine aut fetu locum non habuisset peccatum originis *instrumentaliter* sumptum, atque ideo nec reale debitum (n. 25) contrahendi originale peccatum *proprie* et formaliter sumptum in primo instanti quo anima eius fuit creata et in corpus infusa. At enim, remoto debito reali, nulla ab originali peccato redemptio re quidem vera adfuisset. Ergo nequaquam est dicenda fuisse Virgo sancta et ab originali peccato munda, antequam eius anima crearetur et in corpus infunderetur.

Cum autem Virgo Deipara non fuerit sancta, ante creationem animae: dicenda est sancta fuisse in primo creationis instanti (Sect. II.). Porro cum soleat theologice distingui prioritas temporis a naturae prioritate, si de prima sit sermo, nequit affirmari Virginem fuisse sanctificatam *post* animationem, seu postquam eius anima fuerit creata et in corpus infusa. At enim, cum gratia praesupponat naturam tamquam proprium subiectum, cumque anima creetur ut corporis forma (« actus proprius fit in potentia propria. Cum ergo anima sit proprius actus corporis, anima producta est in corpore, » I. 90, 4), consequitur, naturae prioritate solummodo inspecta, posse Virginem post animationem appellari sanctam (Sect. quarta).

Ad 1. nego maiorem, concedo minorem, et idcirco consequens nego. Nemini enim concessa est gratia sanctificans, antequam eius anima

sanctificasse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de ventre. Quod autem Ambrosius dicit, quod Ioanni Baptistae nondum inerat spiritus vitae, cum iam haberet spiritum gratiae, non est intelligendum secundum quod spiritus vitae dicitur anima vivificans, sed secundum quod spiritus vitae dicitur äer exterius respiratus. Vel potest dici quod nondum inerat ei spiritus vitae, idest anima, quantum ad manifestas et completas operationes ipsius.

Ad secundum dicendum quod si nunquam anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit, tamquam universalis salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa sui conceptione fuit sanctus, secundum illud Luc. 1, 35: « Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. » Sed B. Virgo contraxit quidem originale peccatum, sed ab eo fuit mundata, antequam ex utero nasceretur. Et hoc signatur Iob 3, 9, ubi de nocte originalis peccati dicitur: « Expectet lucem (id est Christum), et non videat, *quia* nihil inquinatum incurrit in illam » ut dicitur Sap. 7, 25, « nec ortum surgentis aurorae, » id est B. Virginis, quae in suo ortu a peccato originali fuit immunis.

crearetur et in corpus infunderetur.

Ad 2. distinguo maiorem. Redundat extrinsecus, concedo: intrinsecus, nego. Et re quidem vera, ex peccato originali *instrumentaliter* contento in fetu inanimi nulla veri nominis labes in Virginis animam redundavit, si dicamus (prouti sumus professi in Sect. II.) eamdem fuisse sanctam et mundam creatam et in corpus infusam. Distinguo etiam minorem. Quidquid in Virginis puritatem intrinsecus redundat, concedo minorem: quidquid in eiusdem puritatem extrinsecus redundat, nego minorem. Etenim si nullo modo fuisset Virgo peccato originali subiecta, scilicet nec prouti consideratur propria personalitate gaudens, nec prouti considerari potest in parentibus aut in fetu inanimato (n. 15), non indiguisset redemptione, quod derogat dignitati Christi. Et ideo sub Christo qui salvari non indiguit *maxima* fuit Beatae Virginis puritas. Quam ob rem Christus nullo modo fuit subiectus originali peccato, nec *proprie* et *formaliter*, nec *instrumentaliter* sumpto, Virgo autem fuit obnoxia peccato originali *instrumentaliter* sumpto in parentibus et in fetu anima rationali nondum informato, non autem fuit peccato originali

Ad tertium dicendum quod licet Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum Ecclesiarum (1) illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda. Nec tamen per hoc quod festum conceptionis celebratur, datur intelligi quod Virgo in sua conceptione fuerit sancta; sed quia quo tempore sanctificata fuerit ignoratur, celebratur festum sanctificationis eius potius quam conceptionis in die conceptionis ipsius.

(1) Apposite Chrystophorus de Vega S. I. « Celebritatem illam de *prima* conceptione inanimata B. Virginis, quae ab Ecclesia tolerabatur tempore D. Thomae, solum ab ipso reprehensam et a D. Bernardo non tamen celebritatem de sanctificatione formali facta in primo instanti conceptionis *secundae*. » (Theol. Mor. Tom. I. Palaestra III. n. 250).

proprie et *formaliter* sumpto obnoxia prouti consideratur propria personalitate gaudens (Sect. II.); *et eius caro fuit sancta accessu animae rationalis*, quae fuit in sanctitate creata et in corpus infusa. Nam « in partibus hominis (III. Dist. III. 1. 1, q. 2) est talis ordo, quod anima est Deo propinquior quam corpus. Sed virtus alicuius agentis prius pervenit ad ea quae sunt sibi propinquiora et per ea ad magis distantia. Ergo gratia a Deo venit ad corpus per animam. Ergo *antequam* animaretur, sanctificari non potuit, » quamvis potuerit atque adeo sanctificata fuerit in primo animationis instanti.

Ad 3. Concedo maiorem. Dist. min. Celebratur ab Ecclesia Romana, nego minorem; ab aliis concedo: nihilominus « Romana Ecclesia tolerat consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. » Distinguo consequens. Est sancta conceptio personae, quae est ultimus terminus *ad quem* in humana generatione, concedo; est sancta conceptio fetus inanimati, qui est primus terminus *a quo* in eadem generatione, nego: fetus enim inanimatus sanctificante gratia ornari minime potest. Nego autem alterum consequens: celebratur enim festum conceptionis personae seu animationis, in qua anima Virginis *fuit sancta creata et in corpus infusa* (1). Celebratur autem personae conceptio eo die quo facta est fetus inanimati conceptio; quia diem quo anima creatur et in corpus infunditur *certa scientia* scire haud possumus. Quod si dicitur celebrari dies festus

(1) Cf. Alexand. VII. Pium P. IX. loc. cit. Sect. I. Benedict. XIV. de Festis c. 15.

sanctificationis, huic voci ea significatio est concedenda, quae componitur cum *maxima* puritate B. Virginis et immunitate a peccato originali proprie formaliterque sumpto (Sect. II.). Ideo ea vox non designat *purgationem ab impuritate culpae praeexistentis;* sed cum de Virgine loquimur, adhibetur eo sensu quo adhibetur dum de angelis est sermo. Eatenus tantum dici potest Virgo *sanctificata*, quatenus non fuit *essentialiter* sancta; sed gratia accessit naturae, ut proprio subiecto, primo instanti quo eius anima existere coepit (Sect. IV.).

Ad quartum dicendum quod duplex est sanctificatio: una quidem totius naturae, in quantum scilicet tota natura humana ab omni corruptione culpae et poenae liberatur; et haec erit in resurrectione. Alia vero est sanctificatio personalis, quae non transit in prolem carnaliter genitam, quia talis sanctificatio non respicit carnem, sed mentem. Et ideo, etsi parentes Beatae Virginis fuerint mundati a peccato originali, nihilominus B. Virgo peccatum originale contraxit, cum fuerit concepta secundum carnis concupiscentiam (1) ex commixtione maris et feminae. Dicit enim Augustinus in lib. 1. de Nuptiis et Concupiscentia cap. 12, circ. princ. « Omnem quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati. »

Ad 4. Distinguo maiorem. Si generatio accidat praeter ordinem naturae, transeat maior (1): si ita fiat secundum ordinem naturae ex mari et femina, ut adsit motio ab anima patris derivata, prouti in praesenti quaestione factum fuisse, est dicendum, nego maiorem. Distinguo minorem. Fuere sancti sanctificatione personali, respiciente per se non carnem sed mentem, concedo: fuere sancti sanctificatione totius naturae, respiciente per se simul carnem et mentem, nego. Nego autem consequens utrumque.

Hactenus Aquinatis personam gerere studui, atque eius doctrinae eam apponere declarationem, quae sancti Doctoris principiis tum philosophicis tum theologicis cohaeret. Quam si sequaris, nullo negotio eorum difficultates enodabis qui existimant, Aquinatem hoc articulo doctrinam de Virgine Deipara talem protulisse, quae directe catholicae doctrinae nostris temporibus pontificio oraculo definitae opponatur.

SECTIO VII.

Difficultati ex Commentario in Sent. L. III. Dist. III. petitae occurritur.

28. Una superest eaque gravissima difficultas ex Commentario in III. Sententiarum librum petita (1). Et ne cui videar difficultatis nodum dissimulare, integrum Aquinatis testimonium oculis lectoris subiicio: « Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae nunquam originali macula fuisset infecta; et ideo nec Beatae Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est. »

Equidem sentio difficultatis vim, eaque premor, sed non opprimor. Neminem latet verborum sententiarumque interpretationem a mente scribentis, a principiis quibus disserendo nititur, a scopo tractationis, a contextu esse potissimum

(1) Motio, quae ab *unius* patris anima progreditur, non est permiscenda cum *actuali* concupiscentia utriusque parentis, quae libido ab Aquinate nuncupatur, et ad transmissionem originalis peccati non est *absolute* necessaria. « Libido nominat inordinatam concupiscentiam actualem. . . Libido actualis non est causa quod transmittatur originale peccatum, sed signum causae. Unde si miraculose fieret ut actualis libido totaliter removeretur, coitu manente, tamen nihilominus proles traheret peccatum originale. Unde Augustinus cum dixit, quod libido transmittit peccatum, posuit signum pro signato » (De Malo q. 4, art. 6, ad 16).

(1) En Aquinatis sententia hac de re (I. II. 81, 4, et 5): « Peccatum originale a primo parente traducitur in posteros, in quantum moventur ab ipso per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autem est motio ad generationem nisi per virtutem activam in generatione. Unde illi soli peccatum originale contrahunt qui ab Adam descendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam, quod est secundum *seminalem rationem* ab eo descendere; nam ratio seminalis nihil aliud est quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifestum est quod vis activa non derivaretur ab Adam. Unde non contraheret peccatum originale; sicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, si manus non moveretur a voluntate hominis, sed ab aliquo extrinseco movente... Manifestum est autem secundum doctrinam philosophorum, quod principium activum in generatione est a patre, materiam autem mater ministrat. Unde peccatum originale non contrahitur a matre, sed a patre. Et secundum hoc, si, Adam non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent; e converso autem esset, si Adam peccasset et Eva non. Secundum hanc doctrinam ait (Contra Gen. IV. 52): « Licet Christus a primo parente secundum carnem descenderit, non tamen inquinationem originalis peccati (sc. nec instrumentaliter accepti) incurrit: quia materiam humani corporis solum a primo parente suscepit; virtus autem formativae corporis eius non fuit a primo parente derivata, sed fuit virtus Spiritus Sancti: unde naturam humanam non ab Adam accepit sicut ab agente, licet eam de Adam susceperit sicut de materiali principio. »

(1) Quaest. I. Art. 1, qu. 2, sol.

desumendam, neque sine certissima evidentissimaque ratione alicui eximio omnique exceptione maiori Doctori, cuius doctrinam sapientiamque Romani Pontifices non solum summis laudibus extulerunt sed omnibus Universitatibus sequendam proposuere, ea esse adscribendá quae secum ipsum pugnantem, principiorum quae pro ratis atque inconcussis saepe saepius habuit oblitum, nutantem et logicarum legum inscium declarent. Quis mihi, quaeso, id recuset? nemo.

29. Iam vero his verbis in quibus difficultatis acies consistit « Sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam in ipso instanti infusionis ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret » duplex interpretatio subiici potest.

Prima est: sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia Virgo prouti existebat in semine concepto aut fetu inanimi, gratiae capax nondum erat; sed nec etiam ita in ipso infusionis instanti, ut persona Virginis esset omnino immunis a culpa originis formaliter accepta.

Altera interpretatio haec est: sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia Virgo prouti existebat in semine concepto aut fetu inanimi gratiae capax nondum erat, sed nec etiam *ita* in ipso infusionis instanti, *ut* per gratiam tunc sibi infusam aut intuitu huius gratiae eadem Virgo *ante animationem* in semine concepto et in fetu inanimi non fuisset obnoxia culpae originis *instrumentaliter* accepta. En tibi allati testimonii interpretatio duplex.

30. Porro si hanc sententiam « nec etiam sanctificatio potuit esse decenter in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret » a contextu divulsam, a quaestionis scopo et a principiis quibus Aquinatis doctrina nititur independentem assumimus, do manus victas; et quamquam primam interpretationem certissimam haud nuncupem, probabiliorem secunda esse fateor, atque huic procul dubio anteferendam. Verum enim vero non est haec aequi iudicii ferendi ratio.

31. Is enim est Aquinas qui *hoc eodem* commentario (I. Dist. 44, 3, 3) conceptis verbis affirmat: « Talis fuit puritas Beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. » Ergo si primam amplectimur interpretationem, secum ipsum pugnantem non tacitis conclusionibus, sed prolatis perspicuisque enunciationibus inducimus. Sed officio tenemur ut ab huiusmodi sententiarum pugna Aquinatem vindicemus, si qua suppetat ratio.

Quae tibi in promptu est, si alteram testimonii interpretationem adhibeas, secundum quam Sanctus Doctor non inficiatur Virginis *personam* a peccato originali immunem fuisse, sed inficiatur propter hanc *personae* immunitatem, Virginem (prouti in semine concepto instrumentaliter contenta consideratur) a peccato originali *instrumentaliter* sumpto extitisse immunem; semper enim Aquinas huic doctrinae firmiter adhaesit, qua Virgo *ante animationem* originis peccato obnoxia esse dicitur.

32. Si quid ambigui praeferant verba, quibus aliqua thesis probatur aut quaestio dirimitur, bonus sane interpres est quaestionis scopus et thesis indoles. Porro quae est, quaeso, quaestio Aquinati dirimenda, quae thesis est probanda? Ancipites hac in re minime esse possumus. Quaestio dirimenda haec est: *Utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem.* Thesis autem est: *Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem.* Quam dirimendam quaestionem ac thesim probandam sibi etiam proponit III. Parte Summae theol. quaest. 27, art. 2. Quod si prima interpretatione textus partem, de qua viget controversia, explices, huiuscemodi pars a contextu divulsa apparet, nec in eum finem a Sancto Doctore adhibita, ut quaestionem sibi propositam dirimat probetque thesim.

Fac ut eamdem partem alteri interpretationi subiicias, et statim apparet eius nexus cum quaestione ac thesi. Ostensurus enim Aquinas Virginem non fuisse sanctificatam *ante* animationem, hanc reddit rationem: quia fetus inanimis gratiae sanctificantis capax minime est. Verum aliquis ei ita occurrere potuisset. Profecto opus est gratia sanctificante ad expellendum aut ad impediendum quominus locum habeat peccatum originale *formaliter* sumptum, quemadmodum (l. cit. Sect. IV.) ad pellendas tenebras aut impediendum quominus alicubi sint, necessaria est lux. Sed est ne etiam necessaria eadem gratia alicui subiecto inhaerens, ut ab *hoc eodem* pellatur vel impediatur quominus sit peccatum originale *instrumentaliter* sumptum? Nonne eo ipso quod persona in primo animationis instanti dicitur exempta ab originali peccato formaliter sumpto ope sanctificantis gratiae, huius sanctificationis intuitu est dicenda etiam in fetu inanimi praeservata ab originali peccato *instrumentaliter* sumpto? Huic instantiae, quam non potuit non praesentire Angelicus Doctor, satisfacit inquiens, non potuisse Virginem in primo instanti quo eius anima creata fuit et in corpus infusa *ita* sanctificari, *ut* propter huiusmodi sanctificationem conservata fuerit immunis a peccato originali *instrumentaliter* sumpto ante animationem. Non itaque cordi est Aquinati in praesentis quaestionis solutione ac thesis demonstratione definire utrum Beatae Virginis persona fuerit immunis nec ne a peccato originali formaliter sumpto, sed cordi omnino est ostendere, non potuisse *ita* immunem esse Virginis *personam* in primo instanti quo extitit a peccato originali, ut inferretur immunitas *ante* animationem, de qua immunitate ante animationem excludenda hic solummodo agebatur. Haec perbelle invicem cohaerent; quapropter, prima interpretatione posthabita, alteram amplectimur.

33. Sed, quod caput est, contextus ipse primam interpretationem falsam esse ostendit, alteram veram. Reapse in quem finem haec profert Aquinas « Christus *enim* hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est...? » Procul dubio ut id quod antecedentibus verbis enunciatione protulerat, demonstratione firmaret. Sed secundum primam interpretationem quid antecedentibus verbis protulit? Virginis personam non fuisse immunem a peccato originali formaliter sumpto. Porro hanc propositionem demonstratio illis verbis « Christus enim etc... » allata nec *per se*, nec *secundum Aquinatis prin-*

cipia vel minimum firmat. *Per se,* inquam. Virgo enim (ut fert apostolica definitio) redempta est, simulque eius persona est ab originali peccato omnino immunis. Dico etiam *secundum Aquinatis principia.* Ipse enim nos edocet (Sect. V.) aliquem redimi posse *vere* vel a malo contracto vel a debito idem malum contrahendi: debitum etiam reale contrahendi originale peccatum, secundum sanctum Doctorem, habetur eo ipso quod semen conceptum peccato originali *instrumentaliter* sumpto subiicitur. Ergo, secundum eiusdem principia, pessima est conclusio huius enthymematis. Virgo redempta est: ergo eius persona in primo instanti quo anima rationalis fuit creata et corpori infusa, fuit originis culpae obnoxia. Quamobrem reiiciamus ut praeposteram, verborum quae demonstrationem « *Christus enim...* » antecedunt, primam interpretationem, qua posita, Aquinas logicarum legum prorsus inscius esse convincitur.

Verum si alteram interpretationem adhibemus, egregie singula connectuntur, atque optima est conclusio (secundum Aquinatis doctrinam) huius enthymematis: Virgo redempta est: ergo vi sanctificationis, qua in primo instanti quo anima fuit creata et in corpus infusa Virginis persona perhibetur fuisse praedita (Sect. II.), nequivit conservari immunis ab originali peccato instrumentaliter sumpto ante animationem. Si enim poterat immunis conservari B. V. ab originali peccato instrumentaliter sumpto ante animationem, reali debito contrahendi originale peccatum, formaliter sumptum, secundum Aquinatis sententiam non subiacuisset Virgo, et propterea redemptione minime eguisset (Sect. V.).

34. Age vero rimemur etiam paulisper verborum significationem quibus utitur Aquinas in praesenti quaestiuncula, cum id matri denegat quod filii proprium esse asseverat. Et ne longius quam par est excurrat oratio, nonnulla tantum subiiciam. Christi *proprium* esse affirmat Aquinas *nunquam* originis culpae fuisse subiectum, atque idcirco nec formaliter nec instrumentaliter sumptae, nec eidem nec *proprie* debito eam contrahendi. Quam ob rem inficiatur posse reperiri aliquam aliam personam, quae nunquam fuerit eidem culpae obnoxia, ideoque omnem aliquando subiectam fuisse. Ex hoc vocabulo — *nunquam* — inferre ne iure meritoque poteris Aquinatem subiecisse Virginem originali peccato in primo instanti quo anima rationalis creatur et in corpus infunditur? Haudquaquam. Satis enim est, secundum Angelicum Doctorem, ut *aliquando,* nempe in semine concepto *ante animationem* fuerit instrumentaliter subiecta.

Quid, quod parallelismi lex id esse prorsus ex mente Doctoris Angelici persuadet? Et re quidem vera in quaestione XXVII. art. 2, III. Summae, in quo articulo eamdem quaestionem omnino discutit, iisdem pene verbis, iisdem prorsus argumentis utitur. Verum hoc in loco ex oeconomia redemptionis infert non potuisse *nunquam* Virginem originali peccato obnoxiam fuisse, atque ideo *ante* animationem eidem subiacuisse, non quidem formaliter sumpto (Sect. II.), sed instrumentaliter. « *Quocumque modo ante animationem* Beata Virgo sanctificata fuisset, *nunquam* incurrisset maculam originalis culpae, et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum. » Ex quibus verbis, tamquam perspicuis sane praemissis, inferre possumus: ergo *si aliquo modo ante animationem* Beata Virgo incurrit originis culpam (instrumentalem scilicet in fetu inanimi), indiguit redemptione et salute quae est per Christum. Quapropter in hoc etiam commentarii loco ad tempus *ante animationem* est referendum vocabulum *nunquam,* quod nullo prorsus iure et contra Aquinatis mentem referretur ad primum animationis instans.

Etiam: nonne perspicua haec verba sunt? « Est erroneum dicere quod aliquis sine peccato originali conciperetur; quia ille qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione quae facta est per Christum; et sic Christus non esset omnium hominum redemptor (IV. 43, 1, 4). » Et: « Similiter, quia si cum peccato originali concepta non fuisset, non indigeret per Christum redimi; et sic non esset Christus universalis hominum Redemptor: quod derogat dignitati Christi (Opusc. Comp. Theol. c. 224). » Id ergo quod secundum Aquinatis doctrinam requiritur et sufficit ad oeconomiam redemptionis est *conceptio* originali peccato subiecta: conceptio autem *nunquam* ab Aquinate animationis loco, quemadmodum fit nostris temporibus, usurpatur. Quam ob rem etiam praesens testimonium ita nos interpretari debemus, ut dicamus ex redemptionis oeconomia (quae in eodem veluti ratio asseritur) non negari sanctificationem in primo animationis instanti, sed eam sanctificationem ex qua sequatur immunitas a peccato originali in fetu ante animae rationalis creationem et in corpus infusionem.

35. Silentio praeterire haud possum Aquinatis studium, quo dum thesim probat (Commentario Sententiarum III. Dist. III. 1, 1, 2, et Sum. Th. III. XXVII. 2): « Virginem ante animationem subiacuisse originali peccato, » movetur ad persuadendum omnibus *maximam* esse infra Christum Virgini puritatem tribuendam, ideoque (quod fluit ex positae quaestionis statu) excepta subiectione originali peccato instrumentaliter sumpto *ante* animationem, omnimodam immunitatem a culpa eidem Virgini esse concedendam. Loco citato Summae ait: « *Si nunquam* (scilicet nec ante animationem, ut exigit quaestio proposita) anima Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo *maxima* fuit Beatae Virginis puritas. » Huius Commentarii textu ad 3 « haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis *nulla* peccati servitute teneretur (id aequivalet vocabulo *nunquam* paulo ante adhibito), cui competebat, omnes a peccato redimere; unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere *debuit.* » Atqui omnino falsa redderetur Aquinatis sententia, si vera prima textus, de quo viget controversia, interpretatio esset: *maxima* enim Virginis puritas dici nequit, si praeter quam quod originali peccato in concepto semine dicatur obnoxia et ideo redemptionis indiga, dicatur etiam originali peccato in primo instanti, quo eius anima fuit creata et in corpus infusa, subiecta (1). Ergo ex verborum et imme-

(1) Cardinalis Caietanus re quidem vera fatetur, hac una

diato et mediato contextu satis apparet primam interpretationem esse reiiciendam, alteram amplectendam.

36. At inquies: Allato textu Commentarii Aquinas vult *animam* esse culpae subiectam; porro anima non existit ante animationem: ergo loquitur de primo animationis instanti. Quamquam ex hactenus prolatis riteque discussis rationibus hoc ultimum plane videatur vanum adversantium effugium: nihilominus, si quae latitat, difficultatis speciem dissolvam. Ea igitur mens est Aquinati, ut affirmet omnem animam (praeter Christi animam) *aliquando* esse obnoxiam peccato originali, vel quatenus anima consideratur existens in proprio corpore, vel quatenus consideratur in Adamo, immediatis parentibus et concepto semine, ex quo individua natura oritur. Quamquam enim animae rationales a Deo creentur, vel, ut inquit schola, ex nihilo sui et subiecti efficiantur; nihilominus in Scripturis sanctis dicuntur a parentibus generari, atque ideo etiam in parentibus et concepto semine esse praeexistentes. Non quidem quia in parentibus aut concepto semine praeexistant *formaliter*, aut ita *instrumentaliter* quemadmodum corpus praeexistere in semine est dicendum, sed quia ex constabilito divinae Providentiae ordine generatio humana terminatur (ut verbo scholae hac in re utar) ad animam a Deo creandam veluti ad propriam et *naturalem* generati formam. Quae est etiam explicita scholae sententia (I. II. 83, 1, ad 3). « *Anima* huius hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante sicuti in principio effectivo, sed sicuti in principio dispositivo (ergo aliquo modo *fuit* in eodem); eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute non efficit animam rationalem, sed ad eam disponit. » Quam ob rem hanc comparationem instituit Aquinas: ita peccatum originale continetur in concepto semine, ut in eodem continetur humana natura, quae est huiusmodi ob animam rationalem a Deo creatam (loc. cit. Sect. III.). Ergo cum saepe saepius Aquinas affirmet peccatum originale contineri in parentibus aut concepto semine, minime est improbanda nostra haec interpretatio (quae doctrinam pluribus rationibus comprobatam sequitur), qua dicimus Aquinatem docere animam Virginis in parentibus et concepto semine subiectam fuisse originali peccato *instrumentaliter* sumpto, non autem in *propria* existentia eidem *formaliter* sumpto subiacuisse.

Quid, si quis interpretationi allatae praeiudicium novitatis opponat? Fateor, postquam multis rationibus interpretationem, quam excogitaveram, firmaverim, me mihi eamdem difficultatem obiecisse. Sed Aquinatis explanatore a Porrecta consulto, odiosae novitatis species evanuit. Eamdem enim interpretationem eidem testimonio cl. Aquinatis explanator subiicit. In primis veluti ratum habet fidei catholicae non posse repugnare sententiam dicentium potuisse Virginem a peccato originali formaliter accepto esse immunem. Verum sibi obiicit Aquinatis testimonium allatum. « Adhuc tamen omnibus praemissis, ut par est, concessis, remanet *dubium* in verbis D. Thom. 3, Sent. Dist. 3, art. 1, quaest. 2. — Sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter in ipso instanti infusionis animae, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret; omnibus enim convenit redimi per Christum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae nunquam originali macula fuisset infecta. — Respondetur quod tale dubium procedit ex eo quod verba illa male intelliguntur. Si enim iuxta verum sensum Sancti Doctoris intelligerentur, sine ulla dubitatione *ab omnibus* pro veris, cum sua ipsius ibi annexa probatione, tuto reciperentur. Duobus namque modis cum sententia sua praedicta intelligi possit, modo tantum catholico intelligit atque intelligi vult eam D. Thomas. Pro qua re sciendum, quod si sanctificatio illa intelligatur fieri in illo instanti per gratiam infusam animae, creando scilicet animam illam in gratia, ita quod simul purgetur caro illa ab infectione contagiosa qua secundum cursum ordinarium contaminare solet animam sibi advenientem; tunc impossibilis est ista sanctificationis positio, stante fide hac, scilicet quod Christus sit omnium hominum salvator a peccato. Nam si caro illa sive embrio a praedicta contagione simul fuerit emundata, nonne tunc vides aperte, quod anima sibi infundenda non erit in periculo cadendi sive contrahendi peccatum originale ex unione ad carnem illam? Quod si non fuerit in periculo illo, numquid non tenuiter consideranti patet, quod illa anima non indiget adiutore aliquo dante sibi manum ne cadat? Quod si hoc, ergo manifeste constat, et quod a periculo cadendi (quod nullum est) non indiget anima illa salvari per Christum, et consequenter quod Christus non est universalis redemptor, quod est haeresis. Omnia clara sunt, et sic intellexit Sanctus Ecclesiae Catholicae Doctor sententiam suam praemissam, in cuius evidens signum ipse ad probationem sui dicti adduxit hoc, scilicet quod tunc B. Virgo non indiguisset redimi a peccato per Christum, cum tamen pro comperto haberet, quod ad verificandam talem indigentiam suffecisset, ipsius animam fuisse in proximo periculo cadendi in originale. Sin autem sanctificatio illa intelligatur fieri in illo instanti infusionis animae per gratiam ei collatam, creando scilicet animam ipsam in gratia, ita ut caro illa embrionis remaneat corporali sua corruptione infecta, tum possibilis est decenter, idest, salva fide, haec sanctificationis positio. Tunc enim adhuc verum est, quod anima illa B. Virginis erat in periculo cadendi, quantum est ex potentia sua naturali et carnis, quam mox informatura erat, nisi aliunde, idest per gratiam ex merito Christi sibi datam, ab illo casu imminente liberaretur (In III. P. quaest. 27, art. 2). » Sed de argumentis, quibus nostra interpretatio fulcitur, hactenus.

37. Ut autem ob oculos pateat germana Aquinatis sententia, expedit ea quae habentur L. III.

admissa doctrina, sententiam Aquinatis dicentis « sub Christo maxima fuit B. Virginis puritas » esse veram. Ita ille (in III. 27, 2). « Si tenetur Beatam Virginem *non ex vi conceptionis*, sed ex gratia singularissima in ipso instanti infusionis animae, infusam illi animam praeservatam ab originali peccato, quod *tunc* incurrisset nisi illa gratia affuisset, specialis modus redimendi ac salvandi a peccato originali Christo attribuitur respectu suae Matris. Sic enim ipsa Beata Virgo indiguit redimi et salvari a peccato per Christum, quoniam ipsa tunc incurrisset peccatum, nisi manus gratiae praeveniens non tempore sed natura affuisset. Et *ita puritas eius fuit maxima sub Christo*, qui nullo modo indiguit redimi, *qui ex vi suae conceptionis* fuit sanctus. »

Dist. III. qu. 1, art. 1, quaestiuncula 2ª exhibere, adiecta perbrevi declaratione.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod sanctificatio Beatae Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed néc etiam in ipso instanti infusionis, *ut scilicet* per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum: hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur quae *nunquam* originali macula fuisset infecta; et ideo nec Beatae Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est...

Haec puritas soli Homini Deo debebatur, ut ipse quasi unicus Redemptor humani generis nulla peccati servitute teneretur, cui competebat omnes a peccato redimere: unde non hanc puritatem, sed sub hac *maximam* Virgo Mater eius habere debuit.

Ad secundam quaestionem qua quaerebatur, num B. Virgo potuerit sanctificari ante animationem, dicendum: sanctificationem B. V. non potuisse decenter esse ante infusionem animae, quia gratiae capax nondum erat: sed nec etiam *ita* in ipso instanti infusionis, *ut* per gratiam hoc instanti sibi infusam aut huius gratiae intuitu in prima inanimati fetus conceptione conservaretur, ne culpam originalem *instrumentaliter* sumptam incurreret. Unus enim Christus redemptione non eget. Si autem alia anima inveniretur quae, prouti in se consideratur, non esset originali peccato formaliter sumpto obnoxia, nec esset eidem *instrumentaliter* sumpto subiecta, prouti consideratur in concepto semine et inanimato fetu existens (n. 15), huiusmodi anima, debito reali peccati contrahendi minime obligata, redemptione non egeret (Sect. V.). Id igitur nemini praeter Christum concessum est. Infra autem hanc puritatem, maxima est Virgini Matri puritas tribuenda, qua scilicet eius persona a peccato (n. 7, 8, 9) dicitur omnino immunis, et eius anima ab initio suae existentiae a macula peccati originalis formaliter accepti omnino praeservata.

Hac ratione reor Aquinatis sententias invicem illustrari, atque illum locum, qui summa perspicuitate gaudet (I. Dist. 44, 3), de quo nulla prudens dubitatio oriri potest, facem praebere interpretationi eorum de quibus disceptatio habetur. Haec enim est rectae interpretationis regula, quam hisce verbis tradidit Salmeron (Com. Prolog. IX. can. 32): « Locum per alios locos, qui eadem nomina vel verba continent, vel eumdem sensum tradere videntur, interpretemur. Siquidem is locus, qui apertius eamdem rem tractat, serviet ei qui obscurior est, et quasi illius erit commentarius. Ad hoc praestandum hortatur Augustinus (II. De doct. christ. c. 9), in hunc modum: — Ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quaedam certarum sententiarum testimonia dubitationem de incertis auferant. — Et Origenes (Hom. 24 in Num.): — Facilius in Scripturis quod quaeritur agnoscitur, si ex pluribus locis quae de eadem re rescripta sunt proferantur. »

38. Missa facio cetera quae ad difficultatis propositae solutionem conferre posse videntur. Quae protuli abunde sufficiunt. Itaque qui contendere mavult allato Commentarii in Sent. lib. III. textu Aquinatem professum fuisse doctrinam Virginis Dei Matris privilegio inimicam, interpretationem eiusdem textus a nobis prolatam ac defensam ostendere absurdam debet, aut saltem omni probabilitate destitutam, atque ea argumenta dissolvere quibus in disserendo nos usi sumus. Ius enim hoc nobis est. Nemini enim fas est erroneae doctrinae incusare Aquinatem Ecclesiae Romanae Doctorem praeclarissimum, nisi prius omni probandi vi destituta esse ostendat quae ab iis proferuntur qui eius causam defendendam suscipiunt.

39. Et haec hucusque dicta satis esse videntur ad doctrinam de Immaculata Virgine Deipara quam Angelicus Doctor est professus vindicandam. Praepositis enim illis locutionibus ex quibus luculenter patet Aquinatem stetisse pro Immaculatae Virginis privilegio, ostendimus eos Angelici Doctoris textus, qui solent afferri ut oppositae sententiae fuisse convincatur, ad hoc probandum prorsus esse ineptos. Hoc unum ex Angelici Doctoris doctrina accurate perpensa inferri posse videtur, ipsum subiecisse Virginem Deiparam ante animationem, in fetus inanimati conceptione, peccato originali *instrumentaliter* sumpto, ne ab eadem Virgine removeret reale debitum contrahendi originale peccatum formaliter sumptum, in eius animae rationalis creatione et in corpus infusione, atque ideo redemptionis minime indigam affirmaret. Quam ob rem mihi satis videtur ostensum quod erat propositum, nempe: demonstrari nullatenus posse Sanctum Doctorem ab ea declinasse doctrina quae de Immaculata Virginis conceptione a Beatissimo Patre Pio P. IX nostris temporibus definita est. Utrum id merito, sapientis lectoris erit iudicium: mihi vero interim dulcis occurrit cogitatio, me Deiparae Sanctissimae tenui hoc labore rem non ingratam fecisse, meique in Angelicum Doctorem, cuius sapientia maxime delector, obsequii signum exhibuisse.

SECTIO VIII.

Difficultates, quas recentissime contra explicationem testimoniorum Aquinatis hactenus a nobis propositorum viri eruditi oggesserunt, diluuntur, atque eadem interpretatio confirmatur.

40. a) In primis obiicitur demonstrationem exhibitam non ea praeditam esse virtute, ut evidenter pateat Angelicum Doctorem stetisse pro sententia catholica de Immaculatae Virginis privilegio; quaedam enim testimonia allata certe non respuunt sensum contrarium ei, qui Aquinatis esse affirmatur.

Respondeo hanc difficultatem laborare falsa quadam suppositione. Non enim lucubrationis sco-

pus fuit demonstrationem evidentem exhibere, qua omnibus pateat Aquinatem stetisse pro catholica sententia, sed potius non posse demonstrari eumdem tradidisse doctrinam catholicae sententiae contrariam. Et re quidem vera, ab initio generalem quaestionem hisce terminis proposui: *Utrum ex doctrina Sancti Thomae Aquinatis inferri aliquid possit definitioni de Immaculato Deiparae conceptu minus consentaneum.* Et in prima Sectione n. 6, ubi scopum totius tractationis perspicuis limitibus definivi, dixi: *Quibus praeiactis, non minus brevi quam perspicua enunciatione huius tractationis scopus determinandus est. — Ea igitur mihi mens est ut ostendam: demonstrari nulla ratione posse Aquinatem fuisse professum, quod attinet ad Deiparae Virginis originem, sententiam diversam ab ea quam Sedes Apostolica nostris temporibus tamquam catholicum dogma definivit.* Nemo est qui, si attente rem perpenderit, non videat multum differre demonstrationem, qua conclusio affirmans probatur, ab ea qua negans conclusio infertur. Putas ne eamdem esse demonstrationem qua ostendis non posse demonstrari animam humanam esse mortalem, cum ea qua demonstras ipsam esse immortalem? Sic, ut ostendam vera demonstratione Sanctum Doctorem stetisse pro Immaculatae Virginis privilegio, oportet rem ita firmare, ut adversarius omnino non possit in diversam sententiam probabili interpretatione Aquinatis testimonia pertrahere. Ut autem probem non posse demonstrari diversam sententiam fuisse professum, satis est testimoniis, quae ut Immaculatae Virginis privilegio contraria ab adversariis afferuntur, apponere interpretationem huic privilegio consonam, et demonstrare huiusmodi interpretationem talibus niti argumentis, quae ipsam probatione dignam reddant. Quamquam autem non ignoro plurimos ex huius tractationis accurata lectione hausisse certitudinem de sincera Aquinatis doctrina; tamen, quod mea maxime refert, certe scio neminem vera probatione ostensurum interpretationem testimoniorum a me allatam, et multis rationibus communitam non esse admittendam, eo quod contraria interpretatio tamquam germana demonstretur.

41. b) Opponunt etiam nobis R. R. Episcopum Burgensem cl. Malou dicentem: « Sanctus Doctor saltem tribus locis hoc privilegium explicitis terminis est inficiatus. » Tria autem loca, ad quae potissimum cl. Auctor respicit, sunt Sum. III. 27, 2. III. Dist. 3, 1, 1, 2. Opusc. super salut. angel. Praeterea etiam affirmat: « Etsi testimonia huiusmodi silentio praetereamus, talis est Aquinatis doctrina, quae nos ad Virginis privilegium inficiandum perducat. »

Cl. et R. R. Episcopi auctoritas hac in re nullum negotium nobis facessere videtur. Ultro enim concedimus ea protulisse; verum et protulit iis omnino contraria in eodem prorsus articulo (1). Testimoniis enim Angelici Doctoris ad speciem Virginis privilegium denegantibus opponit testimonia, quae explicitis terminis ipsum affirmant. « Verum affirmavit ne unquam S. Thomas idem privilegium? In Com. I. Sent. hoc privilegium profitetur *explicitis terminis.* » Nec solum pro veris habet ea Aquinatis testimonia, Virginis privilegium affirmantia, quae extant in pervulgatis Sancti Doctoris editionibus, verum illud non recusat quod plurimorum codicum et eruditissimorum virorum auctoritate permotus admisit Em. Card. Sfrondrati (Innoc. Vindic.) in opusculo super salutationem angelicam, quodque ipse cl. Episcopus Malou accepit a R. et cl. Uccelli tamquam omnino conforme pluribus codicibus summa diligentia inspectis. Testimonium autem hoc est: « Excedit angelos, quantum ad puritatem. Ipsa enim purissima fuit quantum ad culpam, quia ipsa Virgo nec originale nec mortale nec veniale peccatum incurrit. » Quodque mirum est cl. Episcopus non dubitavit asserere: « Ipse (sc. S. Doctor) miro modo ita evolvit veritates illas, ex quibus pia sententia consequitur, ut sit enumerandus inter illustriores testes, quod attinet ad implicitam traditionem de Immaculata Conceptione. » Hisce ab Aquinate relatis tum in privilegii favorem tum contra ipsum, fatetur se non posse componere doctrinam Angelici Doctoris, qui non modo (ut ipse ait) separatis tractationibus, verum etiam in una eademque perbrevi dissertatione oppositas omnino sententias de Virginis conceptione est amplexus. Verum enim vero nonne potius a tantae inconstantiae culpa liberandus est Angelicus Doctor, si qua nobis via suppetat? Suspicari ne possumus propriam sententiam hac de re retractasse Aquinatem, et tamen suos discipulos lectoresve suos de retractata sententia non admonuisse? aut in scriptis sententiam, a qua recessisset, intactam reliquisse? id ad quod praestandum ceteri omnes qui longe absunt ab Angelici Doctoris sanctitate sapientiaque, officio se obstringi arbitrantur, ipse facere noluit? Sed enim nobis suppetit via qua Angelicum Doctorem ab ignorantiae levitatisque nota liberemus, si id quod plurimis atque validis rationibus verum esse comprobavimus profiteamur. Videlicet si 1) omnia testimonia, quae explicitis verbis Virginem in originali peccato *conceptam* esse affirmant, aut eius *conceptionem* peccato obnoxiam, aut eius

(1) Quae sibi mutuo opponunt in eodem articulo cl. auctoris (L' Immaculée Conc. Bruxelles 1857, Tom. II. c. 13, art. 14), hic relata volumus. « Indépendamment des textes de ses écrits, l' ensemble de ses doctrines conduit à la négation du privilége de la sainte Vierge. — Quoique l' on ait pu dire, le Saint Docteur a nié en termes formels ce privilège, au moins dans trois passages de ses oeuvres. » Verum hisce opponuntur: « Il est donc bien certain que Saint Thomas a nié le privilège de la Mére de Dieu. Mais ne l' a-t-il jamais affirmé? Dans son Commentaire sur le premier livre des sentences il l' admet en termes formels... Dans le Commentaire de Saint Thomas sur la Salutation Angélique, tel que M. Uccelli l' a trouvé dans quatre excellents manuscrits contemporains du Saint Docteur on lit vers la fin: Marie surpasse la pureté des anges... Elle a atteint le plus haut degré de la pureté, en ce qui concerne le pêché, car Elle n' a encorû ni le péché originel, ni le péché mortel, ni le péché veniel. — Il a (S. Thomas) merveilleusement expliqué les vérités qui conduissent à la pieuse croyance, et il figure, nous l' avons vu, parmi les temoins les plus remarquables de la tradition implicite de l' Immaculée Conception... On conçoit qu' après l' avoir affirmée dans le commentaire sur le primier livre des sentences, il l' ait niée ensuite dans le commentaire sur le troisiéme livre, parce qu' entre ces deux ouvrages de longue haleine, il a pu changer d' avis; mais l' on ne conçoit guère que dans un commentaire qui a pu être récité dans l' espace d' une heure ou deux, le Saint Docteur ait enseigné le pour et le contre sur un même sujet, l' avoue que je ne puis résoudre cette difficulté, qui me porte a croire que Saint Thomas, dans cette question peu éclarcie de son temps, a flotté et passé d' une opinion à l' autre. »

carnem in ejus *conceptione* peccato infectam, aut etiam ipsam Virginis animam in *conceptione* originis peccato subiectam, referantur ad conceptionem fetus, prout referri debent quae, secundum Aristotelis, Aquinatis veterumque scholasticorum sententiam, animae rationalis creationem tempore praecedit; si 2) peccatum originale, cui Virgo in sui conceptione perhibetur subiecta, esse dicatur solummodo instrumentaliter tale, non autem formaliter; si 3) ex Redemptionis necessitate, quam requirit Aquinas, etiam dum de Virgine Deipara sermonem habet, reale debitum, atque ideo, secundum eius mentem, peccatum instrumentaliter sumptum inferatur, non vero originalis peccati formaliter sumpti existentia. Brevi, difficultates quibus non modo se premi, sed opprimi fatetur cl. auctor, haud aegre dissolventur, si doctrinam de peccati originalis propagatione amplectamur, quam non ad arbitrium, sed indubiis argumentis innixi tamquam Angelici Doctoris germanam in praesenti opusculo tradidimus.

42. c) Obiicitur etiam: ut germanam alicuius auctoris sententiam detegamus, ea loca sunt consulenda in quibus ex instituto rem pertractat, et sententiae, hac methodo determinatae, ea testimonia sunt aptanda in quibus eadem res breviter tangitur. Atqui contrarium fit in praesenti opusculo; ex testimoniis enim in quibus per transennam quaestio proponitur, determinatur Sancti Doctoris sententia de Virginis privilegio, et sententiae hac methodo haustae aptantur ea loca in quibus eadem quaestio ex instituto pertractatur.

Maiorem propositionem ultro amplector, si tamen huiusmodi testimonia in quibus quaestio ex instituto pertractatur reapse habeantur. Quod si haec desiderentur, dubio procul licet auctoris haurire sententiam ab iis testimoniis in quibus res obiter tangitur, praecipue si in eisdem quid auctor senserit clare pateat. Ita ad Theologica dogmata confirmanda saepissime Patrum testimonia desumimus ex iis locis in quibus non data opera, sed per transennam eadem dogmata proponuntur.

Minorem autem falsam esse omnino arbitror. Verum quidem est, testimonia expressis verbis Deiparae privilegium affirmantia non fuisse deprompta ab illis locis in quibus quaestio positiva (quam definiendam minime ex instituto suscepi) explicite pertractatur; sed huius rei causa est, quia haec loca omnino desiderantur. Et re quidem vera, Angelicus Doctor de Beatae Virginis sanctificatione ex instituto agit tum in Sum. Th. (III. 27), tum in Comm. in Lib. Sent. (III. 3).

In Sum. th. has quaestiones, quae ad praesentem controversiam maxime pertinent, ex instituto resolvit:

I. Utrum B. V. Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?

II. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante animationem?

III. Utrum per sanctificationem fuerit B. V. fomes sublatus?

In Com. Sent. has etiam ex instituto pertractat:

I. Utrum B. V. fuerit sanctificata, antequam eius conceptio finiretur?

II. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante animationem?

III. Utrum B. V. fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero?

Porro nec in Summa th. nec in Comm. Sent. agitur haec quaestio: *Utrum B. V. fuerit sanctificata in primo animationis instanti?* quamquam et rerum tractandarum ordo et Aquinatis consueta agendi ratio (huic enim mos est singularum quaestionum praecipua puncta miro ordine pertractare) postulare videntur huius quaestionis accuratam liquidamque definitionem. Hunc defectum adnotavit etiam Card. Caietanus, tametsi eiusdem causam non adsignavit.

Sed enim ex locis in quibus citatae quaestiones ex instituto discutiuntur, semper nostrum scopum intendentes (qualem distincte proposuimus Sect. I. n. 6), eruimus germanam Aquinatis doctrinam, quod attinet ad vocabulorum conceptionis et animationis significationes; quod spectat ad distinctionem quae viget inter peccatum originale instrumentaliter acceptum, quod in fetu inanimato reperitur, et peccatum originale formaliter sumptum, quod nonnisi in anima rationali tamquam in proprio subiecto esse potest; tandem quod pertinet ad redemptionis necessitatem. Inde non ambigua et tortuosa illatione, sed evidentissima demonstratione intulimus, omnia Aquinatis testimonia, quae, *quocumque modo*, affirmant fuisse Virginem Deiparam obnoxiam peccato originali in sui *conceptione*, omnino non posse referri ad primum animationis instans et ad peccatum originale formaliter sumptum; atque ex Redemptionis necessitate, quam saepissime Angelicus Doctor inculcat, solummodo consequi existentiam peccati originalis instrumentaliter sumpti in fetu adhuc animae rationalis experti. Hisce in tuto positis, principia omnino perspicua stabilivimus quibus Aquinatem a nota contradictionis immunem fuisse demonstraremus.

43. d) Praeterea aiunt, per hunc defensionis modum consequi nos posse ab errore vindicare veteres doctores, qui certe Virginis Immaculatae privilegio fuere infensi.

Respondeo, consectarium minime sequi, si *certum* nobis sit eos fuisse tali privilegio inimicos. Ceterum facile ab errore vindicare possumus eos qui, quod attinet ad conceptionem et animationem et originalis peccati propagationem, profitentur doctrinam ei similem quam Aquinas profitetur. Quamobrem egregie ait De Vega: « Cum prisci doctores denegant Beatae Virgini sanctificationem in suo conceptu, loquuntur de conceptione sumpta pro commixtione seminis utriusque parentis ipsius Virginis, quae *tempore aliquo* praecessit animationi corporis. Cum vero affirmant, tunc peccatum originale contraxisse, intelligendi sunt de peccato et labe originali in reatu, debito, aut potentia proxima; quia materia illa informis seu embrio prorsus incapax erat tam peccati quam gratiae habitualis, quod non obscure tradit D. Bernardus epist. 174 (ad canonicos lugdunenses), et S. Thomas: unde solum erat capax reatus, seu potentiae proximae incurrendi peccatum in anima corpus informante; eodemque modo solum capax sanctitatis, quae rebus inanimis inesse potest, cum usibus sacris deputantur... Hoc ergo sensu plures antiqui scholastici adstruunt Virginem Deiparam in prima conceptione habuisse peccatum originale *non formale* et actuale, sed *virtuale*, scilicet in reatu vel debito proximo. » Ita Anselmus citatus, D.

Thomas in III. Dist. 3 et I. II. 81 et III. 27, D. Bonaventura cit. et Bellarminus L. IV. de amissione gratiae cap. 15 (De Vega S. I. op. cit. Tom. II. Pal. III. n. 246).

44. e) Instant etiam cum Card. Caietano: « Petendum est ab iis, si verba ista: *B. Virgo fuit concepta in peccato originali*: et similia, non explicant quod ipsa de facto contraxit originale peccatum, quibus verbis uti debeant Sancti et Doctores ad hoc explicandum? In his namque explicatur 1) persona B. Virginis nominatim ut subiectum originalis peccati; explicatur 2) tempus conceptionis; explicatur 3) originale peccatum; explicatur 4) factum per ly *concepta est, contraxit*, et similia. Quid ultra debuit apponi? Et si ista hic non significant, consequens est ut dicentes oppositum, scilicet: B. Virginem non esse conceptam in peccato originali: non significent hoc quod dicunt (Tract. de Conc. Virg. c. 4). »

Quamquam Card. Caietani auctoritas plurimi est facienda, et ipse ingenii acie in Aquinatis interpretatione videtur pene esse singularis; nihilominus, quod attinet ad praesentem quaestionem, minus consona veritati eum protulisse arbitror.

Et in primis si *conceptionis* vocabulo *unice* significatur conceptio personae seu animatio (ut nostra aetate fit), procul dubio verba illa *concepta in peccato originali* designant Virginem, in primo instanti quo anima eius fuit creata et in corpus infusa, subiacuisse originali peccato. Verum non ita est, si conceptionis vocabulo Doctores veteres significent id quod animationem praecedit, atque ideo antecedit creationem animae et in corpus, suis membris potioribus constitutum, infusionem. Quam ob rem cum Angelicus Doctor *semper* hac significatione usurpet *conceptionis* vocabulum, dum affirmat Virginem *conceptam* fuisse in originali peccato, 1) non explicat *personam* Virginis, sed semen conceptum aut fetum adhuc anima rationali carentem, tamquam subiectum originalis peccati 2), explicat quidem tempus, sed tempus quod creationem animae praecedit; 3) explicat originale peccatum, verum non formaliter sumptum, sed instrumentaliter acceptum, cui solummodo potuit subiici fetus anima rationali nondum informatus; 4) explicat per *ly concepta est, contraxit* et similia factum, sed factum subiectionis originali peccato instrumentaliter sumpto, ex quo debitum incurrendi originale peccatum formaliter acceptum et Redemptionis necessitatem derivari Sanctus Doctor concipiebat. Quocirca si quaeratur quid ultra *debuit apponere?* reponimus: debuisset a proprio autographo delere ea testimonia quibus non obscure, sed expressis terminis affirmat B. V. immunem esse a peccato originali, et gaudere *maxima*, post Christum, puritate; debuisset expressis terminis proponere hanc quaestionem (quam, ut supra innui, rerum tractandarum ordo exposcere videbatur): *Utrum B. Virgo in primo animationis instanti fuerit subiecta peccato originali?* et affirmativam responsionem *sine ambagibus* omnino dare.

Quae autem a Card. Caietano subduntur a veritate aliena esse apparent. Et re quidem vera, qui affirmat Virginem *conceptam* in peccato originali non esse, aut 1) conceptioni nomine significat id quod praecedit animationem, aut 2) significat ipsam animationem. Si primum, qui talia affirmat, certe indicat non fuisse Deiparam subiectam in animatione seu conceptione personae peccato originali. Sola enim immediata ratio ob quam secundum veteres Doctores anima in primo creationis instanti subiicitur originali peccato, haec est: quia in fetus conceptione habetur subiectio peccato originali instrumentaliter sumpto. Ablata porro ratione sufficiente, et rationatum aufertur. Quod si alteram significationem vocabulo conceptionis subnectat, nulla dubietas, ambages nullae nec esse nec fingi possunt.

Verum enim vero si principia, quibus utitur aliquando Caietanus, in defensione Aquinatis adhibeamus; procul dubio affirmandum nobis est Angelicum Doctorem, quod attinet ad Virginis Matris Dei immaculatam originem, non esse professum sententiam oppositam ei quae a Sede Apostolica modo ut catholicum fidei dogma est definita. Et re quidem vera, in Com. opusc. de Ente et Essentia, contra sententiam Aquinatis quam sic exhibet — *quaevis intelligentia constituit unam speciem* —, quosdam Parisiensium Doctorum articulos in medium profert, quorum auctoritatem pluribus rationibus imminuere satagit; et denique ait: « Dicitur tertio, quod cum Sanctissimus Urbanus Papa doctrinam S. Thomae approbaverit in Extravaganti, quae incipit: *Laudabilis Deus in sanctis suis*: mirum est quomodo isti audeant, contra Romanae Ecclesiae approbationem, reducere articulos Parisienses. Sunt autem verba Domini Papae in calce Extravagantis ad Universitatem Tolosanam illa: *Volumus insuper et tenore praesentium vobis iniungimus, ut dicti Beati Thomae doctrinam tamquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studeatis totis viribus ampliare*. Haec verba attendant adversarii, et videant quanta temeritate contra mandatum Summi Pontificis catholicam S. Thomae doctrinam impugnare nituntur. » Ergo, Card. Caietano auctore, affirmari nequit Sanctus Thomas protulisse unquam sententiam contra catholicam Sedis Apostolicae doctrinam. Quocirca cum sit catholica Sedis Apostolicae doctrina, Deiparam in primo animationis, seu conceptionis personae instanti fuisse ab originali peccato immunem, dicendum quoque erit diversam interpretationem esse testimoniis Aquinatis subiiciendam ab ea quam eisdem Card. Caietanus subiecit.

45. f) Denique obiiciunt: Si Aquinas docuit in Virgine post animationem seu personae conceptionem remansisse fomitem etsi ligatum, omnino fuit infensus Virginis Immaculatae privilegio de immunitate ab originali peccato. Atqui illud docuit; igitur hoc est etiam admittendum. Quis in dubium revocare poterit maiorem propositionem? Minor autem patet ex pluribus Angelici Doctoris testimoniis.

Maiorem nego, et minorem transmitto. Card. Caietanus affirmavit (De Conc. Virg. c. 3), ea simul posse componi, scilicet immunitatem a peccato originali in primo animationis instanti, et ligati fomitis existentiam. Etiam a Porrecta ait: « Conclusio 1ª: Melius videtur dicendum quod per sanctificationem in utero non fuerit sublatus Beatae Virgini fomes secundum essentiam, sed quod remanserit ligatus. Prima haec conclusio cum sua probatione potest verificari de B. Virgine, posito etiam quod ipsa per gratiam sanctificantem, idest iustificantem, fuisset praeservata ab a-

ctuali contractione peccati originalis. Dictum est enim supra (cf. testimonium allatum n. 36), quod data illa praeservatione remanebat adhuc ex parte carnis (sc. in fetu ante animae infusionem) infectio, licet non potuisset de facto inficere animam gratia vestitam, sibi primo advenientem (In III. 27, 3). » Manifestum itaque est difficultatem esse prorsus inanem.

Verum iuvat hac in re paulisper immorari, ut germana Aquinatis sententia lectori perspicue innotescat. Sciendum itaque est in homine, utpote *animali rationali*, duplicem esse cognoscendi potentiam, spiritualem alteram, alteram sensitivam; his autem duabus cognoscendi potentiis respondere binas appetendi potentias, quarum una est spiritualis, altera autem sensitiva. Appetendi facultas spiritualis, quae voluntas nuncupatur, in qua formaliter libertas residet, una intelligendi potentia movetur, et phantasia solummodo appetitus animalis excitatur. Quam ob rem ex eo quod, posita ratione sufficiente, ponitur etiam rationatum, a phantastica apprehensione boni sensibilis *naturaliter* excitatur animalis appetitus, etsi nondum ratio de eodem bono sensibili iudicium tulerit, neque ad actum voluntas processerit. Potentia autem appetitus animalis dicitur *fomes* non ex toto, sed ex parte; eatenus scilicet, quatenus praevenire potest suo motu rationem, in ea tendendo quae ordini rectitudinis honestatisque adversa ab eadem ratione iudicantur. Quocirca fomes fuisset *naturalis* hominis nisi Deus progenitorem omnium Adamum ad supernaturalem iustitiae statum evexisset. Huic enim, praeter cetera privilegia aut gratiae dona, illud etiam Deus contulit, quod nunquam appetitus animalis suis motibus rationem praeveniret. Peccante Adamo, fomes peccati est humano generi relictus, tamquam peccati poena.

Hisce praeiactis, quanam ratione potuisset secundum Aquinatem auferri aut extingui in Virgine peccati fomes, quanam ratione ligari? Extinctus fuisset fomes, si Virginis intellectivae et sensitivae potentiae ope gratiae ita fuissent dispositae, ut *nunquam* appetitus animalis suo motu potuisset rationis arbitrium praevenire, sive quod attinet ad ea quae honestati opposita sunt, sive ad cetera. « Restat ergo ut dicamus quod vel totaliter fomes fuerit ab ea sublatus per primam sanctificationem, vel, si remanserit, quod fuerit ligatus. Posset enim intelligi quod totaliter fuerit sublatus fomes hoc modo; quod praestitum fuerit B. Virgini ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa, quod inferiores vires *nunquam* moverentur sine arbitrio rationis, sicut dictum est fuisse in Christo, quem constat peccati fomitem non habuisse, et sicut fuit in Adam ante peccatum *per originalem iustitiam*: ita quod quantum ad hoc, gratia sanctificationis in Virgine habuit vim originalis iustitiae (III. 27, 3). »

Ligatus autem fomes, secundum Aquinatem, in Virgine fuit, quia eidem *etiam per gratiae abundantiam* impedimentum factum est ne appetitus animalis praeveniret rationis arbitrium non quoad omnia, sed quoad ea quae ab honestatis norma deflectunt: « Contingunt autem huiusmodi motus inordinati ex hoc quod appetitus sensitivus, qui est harum passionum subiectum, non sic subiicitur rationi, quin interdum ad aliquid praeter ordinationem rationis moveatur, et quandoque contra rationem in quo consistit motus peccati. Sic igitur fuit in Beata Virgine appetitus sensitivus rationi subiectus *per virtutem gratiae ipsam sanctificantis*, quod nunquam contra rationem movebatur, sed secundum ordinem rationis; poterat tamen habere aliquos motus subitos, non ordinatos ratione... Quia in Beata Virgine Maria non erant inferiores vires totaliter rationi subiectae, ut scilicet nullum motum haberent, a ratione non praeordinatum, et tamen sic cohibebantur *per virtutem gratiae*, ut nullo modo contra rationem moverentur. Propter hoc solet dici, quod in Beata Virgine post sanctificationem remansit quidem fomes peccati secundum substantiam, sed ligatus (Opus. Comp. th.). » Alibi etiam: « Unde relinquitur, quod fomes per essentiam post primam sanctificationem remanserit, sed impeditus *per gratiam sanctificantem*, ne in peccatum inclinaret, aut a bono retraheret. In Beata Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit et quantum ad veniale et quantum ad mortale (III. Dist. 3, 1, 2). » Supra dixi *etiam* per gratiae abundantiam; quia non inficior Sanctum Doctorem docuisse illud impedimentum etiam a divina providentia ortum fuisse (III. Sum. 27, 3). Quam ob causam mihi cordi est inculcare, Aquinatem docuisse ligatum fuisse Deiparae fomitem *a gratia sanctificante*, quam in prima sanctificatione accepit? Ut appareat, ad rem quod attinet, Aquinati non adversari doctores sane plurimos, qui affirmant in prima sanctificatione extinctum fuisse in Virgine fomitem peccati. Hi enim tunc extinctum esse fomitem dicunt, cum impedimentum *a gratia* oritur, ne appetitus animalis arbitrium rationis praeveniat, ligatum vero cum id accidit *per solam* extrinsecam Dei providentiam. De Vega ait: « Tunc dicunt ligari fomitem, quando inclinatio ipsa nativa appetitus sensitivi ex *sola* Dei providentia et *externa protectione* impeditur, ne reipsa operetur et appetat id quod est contra rationem, et ne ipsam praeveniat. Tunc autem extingui fomitem et auferri dicunt, quando ex *abundantia gratiae* talis inest habitudo et dispositio virium animae et facultatum, ut inferiores nunquam moveri possent sine motu rationis; quocirca per huiusmodi gratiae abundantiam censent extingui et auferri potuisse fomitem (Tom. I. Pal. IX. 860). » Ergo si de peccati fomite solum agamus, videlicet de illa tantum inclinatione qua fertur appetitus sensitivus in id quod honestatis normae opponitur, cum Aquinas affirmet explicitis verbis *per virtutem gratiae sanctificantis* in Virgine huiusmodi fomitem sive inclinationem sublatam fuisse, patet non adeo a sententia plurimorum doctorum differre qui dicunt in prima Deiparae sanctificatione, qua ab originali peccato fuit praeservata, extinctum fomitem fuisse. Haec protuli non ad difficultatem enodandam, quae ut supra ostendi, nulla est, sed ad Sancti Doctoris hac super re doctrinam explicandam.

Itaque ex imbecillitate argumentorum quae contra demonstrationem a nobis allatam facta sunt, luculentius eiusdem firmitas apparet. Ideoque certum nobis est « demonstrari nulla ratione posse Aquinatem fuisse professum, quod attinet ad Deiparae Virginis originem, sententiam diversam ab ea quam Sedes Apostolica nostris temporibus tamquam catholicum dogma definivit. »

A. M. D. G.

TABULA

EORUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS.

EXPLICATIONES ABBREVIATIONUM

QUIBUS IN INDICIBUS GENERALIBUS OMNIUM OPERUM S. THOMAE AQUINATIS, UNUMQUODQUE OPUS INDICATUR

1ª *Indicat*	Prima Pars Summae Theologicae.
1-2 et 2-2	Prima Secundae Partis Summae Theologicae, et Secunda Secundae.
3ª	Tertia Pars ejusdem Summae.
1, d.	In primo libro Sententiarum, distinctione...
2, d.	In secundo Sententiarum, dictinctione...
3, d. 4, d.	In tertio, et in quarto Sententiarum, distinctione...
|	Haec linea denotat *item*: et distinguit unam allegationem ab altera circa eamdem conclusionem: videlicet indicat quando S. Thomas eamdem sententiam alibi repetit, ac confirmat.
q.	Quaestio, vel Quaestiuncula.
art.	Articulo.
a.	In argumentis pro prima parte articuli.
b.	In argumentis pro secunda parte articuli.
c.	In corpore articuli.
d.	In responsione ad argumenta ejusdem articuli; vel datur *m* super numerum ita 1ᵐ 2ᵐ et 3ᵐ etc.: et intelligitur sententiam reperiri in responsione ad primum argumentum, seu ad secundum etc.
L. 1	In expositione primae Partis litterae Magistri Sententiarum.
L. 2	In expositione secundae Partis litterae Magistri Sententiarum.
L. 3, L. 4	In expositione tertiae, seu quartae Partis, ut supra in praeceden.
Lect.	Lectiones.
o.	o. per totum Articulum — prin° In principio articuli — me° In medio articuli — fi. in fine articuli.
Cg.	Hoc signum indicat Summam contra Gentiles.
li°	Libro.
c°	Capitulo.
1ᵐ	In notabili primo ejusdem Capituli.
2ᵐ	In notabili secundo ejusdem Capituli, *et ita porro*.
Verit.	In Quaestionibus disputatis de Veritate.
Poª	In Quaestionibus disputatis de Potentia.
Ma.	In Quaestionibus disputatis de Malo.
Virt.	In Quaestionibus disputatis de Virtutibus in communi.
Unio.	In Quaestione disputata de Unione Verbi Incarnati.
Spiritu.	In Quaestione disputata de spiritualibus Creaturis.
Anima.	In Quaestione disputata de Anima.
Quol.	In Quolibeto... 1, 2, 3, 4, etc.
Opusc.	In Opusculo... 1, 2, 3, 4, etc.
Job	In Expositione super librum Job.
Psal.	In Expositione super Psalterium David.
Isa.	In Expositione super Isaiam.
Matth.	In Postilla super Matthaeum.
Jo.	In Postilla super Joannem.
Rom. Cor. etc.	In Expositione super Epistolas Pauli ad Rom. ad Cor, etc.
Dio.	In Commento super Dionysium de divinis Nominibus.
Trin.	In Expositione super Boetium de Trinitate, seu Opusc. 7ᵒ
Hebdo.	In Expositione super Boetium de Hebdomadibus.
Caus.	In Expositione super Auctorem de Causis.
Ethi.	In Commento super XII. libros Ethicorum Aristotelis.
Ente 1, 2, etc.	In Commento super librum 1, vel 2 etc. de Ente et essentia.
Meta.	In Commento super XII. libros Metaphysicorum.
Phy.	In Commento super VIII. libros Physicorum.
Cae.	In Commento super libros de Caelo et mundo.
Gen.	In Commento super libros de Generatione.
Anima.	In Commento super libros de Anima.
Meteor.	In Commento super libros Meteororum Aristotelis.
Sensu.	In Commento super librum de Sensu.
Memoª	In Commento super librum de Memoria etc.
Somno.	In Commento super librum de Somno et vigilia.
Poster.	In Commento super libros Posteriorum.
Periher.	In Commento super libros Perihermenias.

Monitum — Quando non signatur Liber vel Capitulum, tunc primus Liber vel primum Capitulum, semper subintelligitur.